


VIATICVM NOVVM.

DE OMNIVM FERE PARTICVLARIVM MORBORVM CVRAtione, Liber,

authoris innominati quidem, sed longè doctissimi, verè aureus & incomparabilis, nunc primùm in lucem editus per CASPARVM VVOLPHIVM Medicum Tigurinum.

Ex libris Jakobi Schilleri





TIGVRI,

APVD CHRISTOPH. FROSCH;

Anno M.D.LXXVIII.


BOSTON MEDICAL
DEC 28 1909
LIBRARY.

ANTIQVISSIMA NOBILITATE, VIRTVTE

& doctrina præstantißimis viris, D. Iohan. Georgio & D. Christophoro ab Hinuuyl fratribus, dominis suis colendißimis Casparus Vuolphius Medicus, Tigurinus.

S. D.

ANTE annos duodecim, cum Medicinæ discendæ atque exercendæ gratia, Galliæ, Italiæque celebriores Academias sequerer: fortè in ruderibus cuiusdam bibliothecæ veteris, hunc de curandis morbis libellum manu scriptum reperi. Eum ipsum vtrum vtilitatis publicæ prouehendæ gratia in lucem darem, an meis ipsius priuatis vsibus conseruarem, diu multumq; mecum dubitaui. Ac supprimendi quidem huius causæ, cùm multæ, magnæ & graues occurrebant, tum illæ me potißimùm mouebant: quod viderem, partim huius generis scripta selectißima tàm à priscis, quàm à recentioribus doctoribus elaborata extare: partim etiam esse plerosque in ea sententia, vt si

quid habeant rarius, aut, vt ipsi vocant, secretius, idipsum sibi potius seruandum, quàm publicandum arbitrentur. Ex altera autem parte, Stoicorum non omnino improba sententia, qua homines hominum causa genitos asserunt, fecit, vt existimarim nefas esse, occultare atque supprimere, quod multis vsui & vtilitati esse poßit: in memoriam hoc Ennij Poetæ dictum reuocans, quod is qui de suo lumine, lumen alteri accenderit, facit, vt nihilominus ipsi luceat. In quacunque enim re aliquis cæteris præstat, ea de re hominibus bene mereri debet, & diuinam illam in nos benignitatem optimum quenque, hominem iuuando, quàm proximè imitari decet ac conuenit. Qua de causa cùm nihil sit, mea quidem sententia, tàm proprium humanitatis atque amoris, quàm communicatio, & semper aliquid, vt Ciceroni placet, ad communem vtilitatem afferendum, putaui librum eum, cuius lectione sæpius mirificè sum & delectatus & adiutus, cōmunem multis faciendum: &, siquidem culpa hoc meum factum vacare non poßit, in temeritatis potius, quàm inuidiæ

diæ crimen incurrendum. Optandum equidem fuisset, vt ipsemet author, quisquis tandem fuit (neque enim cuiusquam nomen ascriptum liber habuit) hunc in lucem edidisset: quo laboris & ingenij sui laudem atque præmium ipse tulisset, & liber elaboratior at perfectior exijsset. Requirit siquidem hoc argumenti genus, quod de morbis fœliciter curandis & commodè regendis ægris, tractat, ingenium fœlicißimum, iudicium summum, & experientiam longè maximam. Neque enim frustra est, quod primo de pulsuum differentijs Galenus prodidit, tantam inquiens, in hac arte difficultatem esse & obscuritatem, vt si vel triplo longius spacium nobis concederetur, tamen ne tunc quidem exactè nos omnia cognoscere posse. Nam quemadmodum nihil est, nec pulchrius, nec vtilius, quàm multis & varijs morbis huius artis beneficio leuari, & optatum sentire restitutæ sanitatis fructum: sic videtur, tum propter subiectum adeò nobile, tum propter occasionem sanè quàm præcipitem, nec difficilius quicquam, nec magis laboriosum, quàm

de morbi specie rectè iudicare, & ea, quæ sint huic pariter & naturæ laborantis aptißima medicamenta, comparare. Est enim hoc vel præcipuum Medicæ artis officium, cùm ægri tùm morbi habere rationem. Et quanquam morborum, qui sub sensum cadunt, & per se ipsi, (quemadmodum in alijs rebus colores) percipiuntur, facilis sit perceptio & cognitio, facilisque proinde curatio: eorum tamen, quorum per media obseruatio fit, vt difficilis iudicatio, ita per medicamenta curatio est. Quin etiam ægri natura communis & propria (cuius tanta est: quanta ingeniorum diuersitas & in temperatione, conformatione, humorisque dominio versatur) curationis difficultatem auget. Ex his enim omnibus tandem colligendum, intelligendumque est, diætæ, vacuationis, alterationisue occasionem, vtendi modum, quantitatem & qualitatem. In tanta autem rerum difficultate & confusione, quæ in hac medicinæ parte obuia est, quis obsecro non animaduertat, tùm Methodo, per vniuersalia, vt vocant, theoremata, tùm exercitatione seu experientia in particularibus

cularibus exemplis, iuxta Galeni doctrinam (duobus instrumentis ad cuiusque artis scientiam comparandam necessarijs) opus esse? Οὐδὲν καὶ, inquit Xenophon, οὕτως εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις: Et Methodi ignoratio, inquit Galenus, omnes dissensiones, tum inter Medicos tum inter Philosophos peperit. Hæc docet, quid primum esse debeat, quid secundum, quid deniq; tertium quartúmue. Experientiæ quoq; tanta est necessitas, vt & ipsæ Methodi sine exemplis, neque Galeno neq; Aristoteli doceri posse rectè, visæ sint: & Plato testatur, arduum esse absq; exemplis res magnas lucidè ostendere, vt non immerito dicendum sit, particulari exercitatione Methodum explicari. Quisquis igitur Methodo morbos curare instituerit, eamque particularibus exemplis, vt fiat magis perspicua atq; illustrior, applicuerit: is demum videbitur, magnum quiddam in re Medica præstitisse: omnemque eam, quæ in curandis morbis confusa & sine ordine proponuntur, difficultatem, è medio tulisse. Ac tale quid fecisse videtur, præsenti in libro, noster author,

quisquis fuerit. Methodo vtitur perspicua, & in opere practico perutili, quam particularibus exemplis perpulchrè accõmodat. Rara affert multa, & experimenta non pauca hinc inde spargit. In plerisq; enumerat, tum simplicia, tum composita medicamenta ad singulos morbos, & circa finem Capitum ferè subiungit, quæ à totius substantiæ proprietate vel colla appensa, vel interius assumpta morbis medentur. Destillatos liquores præsertim cõpositos egregios passim præscribit, aliaq; medicamenta multa ingeniosè componit. Collegit pleraq; ex antiquorum & probatorum Medicorum scriptis magno iudicio, quorum pugnantes sententias quandoq; conciliat, raro ab eis dissentit. Quamobrem cum ob has ipsas, quas modò diximus causas, aliasque multas, omnino idoneus sit & dignus, qui à Medicis ad vias, profectionesque circumferatur, præterea etiam viatici instar, propter remediorũ quæ continet præstantiam, esse queat, non incommodè fortè Viatici noui (nimirum vt à Constantini illius viatico iam olim edito differret) nomen illi est impositum. Quæ quidem

omnia,

omnia, multaq́; alia, quæ ne excedam ſcribendo modum Epiſtolæ, dedita opera nunc reticeo, ſatis declarare poſſunt, cur hunc librum aliena opera conſcriptum, in publicum dederim: vt intelligant nimirum omnes quàm vtilitatis publicæ ſim cupidus. Cæterum quod hunc librum, vobis potius quàm alijs, viri præſtantiſsimi, dedicauerim, ſummus meus erga vos, perpetua cum obſeruantia coniunctus amor, fecit. Cum enim inde à teneris annis vobiſcum vixerim familiariter, vosq́; ipſi tum temporis atque etiam adhuc, ita multis magnisq́; beneficijs & officijs proſecuti ſitis, vt me totum vobis obligatum, deuinctumq́; teneatis: haud committendum putaui, vt nullum omnino vel veſtræ erga me beneuolentiæ, vel meæ erga vos gratæ voluntatis monumentum apud poſteros extaret. Cumq́; vos, pro veſtra ingenuitate & natura verè nobili, cùm omnis liberalis doctrinæ ſtudioſos ſimul ac doctores, amore maximo complectamini: tum etiam ipſi in liberalium artium & bonarum literarum, in primisq́; Iuris ciuilis ſtudijs, magnificè liberaliterque educati ſitis: arbitratus

sum nullum vobis offerri potuisse munus, quod & dignius & gratius vobis esset. Quamobrem illud munus qualecunq, meæ erga vos beneuolentiæ atq; obseruantiæ signum, vt benignis animis suscipiatis, ita mihi persuasi, vt nullis precibus impetrãdum existimem. Illud potius à vobis vnicè peto & rogo, vt librum ipsum, ἀδέσποτον, in fidem tutelamq; vestram recipiatis, ita facilè & omnium odium vitare poterit, & inuidiam sustinere. Valete viri nobilißimi, & me quod hactenus fecistis, amare pergite: & puppillum hunc, hilari fronte vobis adoptate. Tiguri Heluetiorum, Calendis Augusti, 1565.

V. P. D.

Casparus Vuolphius
Tigurinus Medicus.

CON-

CONRADVS GES-
NERVS LECTORI REI
Medicæ studioso S.

AVARITIAE *affinium vitiorum non vnum genus est. Sunt qui res bonas, quibus ipsi nec vti nec frui queant, inuidentia ducti non communicant alijs, stolidi inuidiq; potius quàm auari, et planè Canes (quod aiunt) ad præsepe. Sunt alij, illiberales illi magis quàm auari, qui mechanicorum & βαναύσων hominum more res vtiles cælant, vt soli ipsi fructum et lucrum inde capiant. His vitijs qui obnoxij non sunt, & quæ bona vtiliaq; poßidēt, aut præstare alijs possunt, ea nec inuident cuiquam, nec cælant & premunt, nec in otio sibi alijsq; inutili et damnoso versantur, neq; pecunijs aceruandis inhiant: sed homines se esse, ad imaginem Dei conditoris factos, & hominibus natos, (hoc est omni hominum generi, viuentium & posterorum: non patriæ solùm & amicis, vt veteres philosophi censebant,) probè meminerunt, illi demum vt veræ pietatis officio hac in parte fungi, ita non exigua laude digni mihi vidētur. Quibus ego* CASPARVM VVOLPHIVM *etiam, cōciuem meum & collegam necessitudine non uulgari mihi deuinctum, medicum sanè excellentem, adnumero. Hic enim cum aliquando librum hunc medicinaliū curationum, nunquam prius editū quod sciamus, mihi ostēdisset: et ego multa vitæ vtilißima eo contineri animaduerterem, vt*

in publicum hunc ἀδίωνοτον thesaurum potius quàm librum, proferret hortatus sum. Is verò pro suo candore non difficulter mihi morem gessit, nec sordido illo & vetere illiberalitatis prætextu, vti apud me voluit: non oportere scilicet, præclara medendi inuenta, quibus multi imperiti abuti possent, in vulgus spargi. Atqui si malorũ & imperitorum hominum abusus, à rerum bonarum communicatione deterrere nos deberet: omnia ferè illa quibus vescimur, alimur, & quouis modo vtimur ac fruimur quotidie, occultanda vel è medio tollenda fuerint. Quo nomine sanè optimi LECTORES, plurimũ vos Vuolphio nostro debere, si librum hunc diligenter euoluere, & quæ in eo traduntur in vsum vitæ conuertere volueritis, confessuros libenter non dubito. Quod si feceritis, sicut debetis, candidè: nec reprehenderitis alienam in eo culpam, vt quod alicubi fortè, quisquis est huius libri author à Galeni placitis, (vt circa sanguinis detractionem, nondum confirmata aut declinante nimium ætate,) Arabum fortè quorundam doctrinam ac morem secutus, recesserit: hoc candore vestro eum excitabitis, vt aliquando me etiam hortante, cætera quæ ad aliorum morborum ac febrium curationem huic commentario deesse videntur, de suis interea assiduis obseruationibus, eadem scribendi methodo ac breuitate, addenda explendaq; suscipiat.

VALETE.

AD LECTOREM
ADMONITIO.

CVM Typographus noster, Viaticum illud nouum, de particularium morborum curatione, quod ante annos aliquot, grauissimorum quorundam virorum authoritate atque impulsu, in studiosorum rei medicæ gratiam, nullo certo authoris apposito nomine, edideram, nunc formis chalcographicis suis denuò subijcere constituisset: nolui intermittere, quin te, candide Lector admonerem, hunc eundem librum, paucis quibusdam mutatis sub clarissimi viri Iacobi Hollerij nomine, eodem tempore, Parhisijs edi tum atque excusum esse. Quod vtrum eius, an alterius sit, cum mea non intersit, non etiam magnopere laboro: facilè tamen eorum iudicio, qui id ita esse affirmant, acquiesco. Ego verò, vt ingenuè, quod res est, fatear, cum ἀδέσποτον exemplar meum esset, ac proinde cuius nam esset ignorarem, nolui editione mea priore vel nomine ficto, cuicquam fucum facere, vel arroganter, qui alterius erant labores, pro meis venditare: hoc enim, vt indecorum & homine ingenuo indignum, ita illud iniurium omnino extitisset. Quamobrem, id quod boni viri officium erat, eum libro titulum præfixi, qui & ipsi authori, quisquis tandem ille esset, nihil penitus de-

traheret, & libro ipsi gratiam atq; fauorem conciliaret. Itaque si ad Hollerium, virum doctissimum, referre eum placeat: æquum est, pios Hollerij manes fauore & laude prosequi, quod suis hisce operosis vigilijs, arduisque laboribus, eruditiores quam plurimos reddiderit, posterisq; tam paratum bene medendi thesaurum reliquerit. Sed ipsi insuper libro quoque gratulandum, quod hoc tam celebri parẽte prognatus, hominum tuendis commodis illustrior, plausibilior, gratiorque appareat. Quod verò etiamnum operis titulum non mutarim, id eo consilio à me factum est, vt is ipse me, meamque famam & existimationem, à maleuolorum atq; obtrectatorũ iniurijs atq; morsibus, quibus fidem meam quasi mihi ipsi tribuerim, labefactare sunt conati, defẽdat vindicetq;. Itaq; candide lector, hunc Hollerij, vti perhibent, doctißimum librum, ab infinitis, quibus scatebat mendis perpurgatum, nunc denuò à Typographo, in vsum atque vtilitatem tuam æditum, beneuolo gratoque animo suscipe. Vale.

AVTHORES QVI IN *hoc libro citantur.*

Aetius.	Hippocrates.
Aegineta.	Herophilus.
Aelianus.	Mesue.
Auicenna.	Oribasius.
Aurelianus.	Orpheus.
Albucasis.	Octauius.
Asclepiades.	Porphyrius.
Archelaus.	Rasis.
Arabes alij.	Solinus.
Celsus.	Symachus.
Diocles.	Scribonius.
Didymus.	Soranus.
Galenus.	Trallianus.

VIATICVM NOVVM DE OMNIVM FERE PARTICVLARIUM MORBORUM CVRATIONE.

DE DOLORE CAPITIS. Caput I.

GALENVS secundo κατὰ τόπους, ex causarum efficientium varietate, ex partium laborantium natura, ex qualitate propria, dolores capitis distinguit. Causæ: intemperies, copia vel humorum vel vaporum, qualitas eorundem, ac denique obstructio. Partes laborantes: totum caput aut pars capitis, periosteon, menynges, & reliquæ partes capitis interiores. Qualitas propria: quia dolor vel grauis est, vel rodit, aut pulsat, aut distendit. Causæ. Partes affectæ. Qualitas doloris.

Curatio doloris capitis his perficitur. Phlebotomia, arteriotomia, sanguisugis, cucurbitulis, purgationibus, potionibus, & medicamentis naturam præparantibus, topicis repellentibus, concoquentibus, mitigantibus, alterantibus, digerentibus, roborãtibus, phœ- Curatio.

nigmis,sinapismis,cauterijs,paracentesi.

Venæ sectio. Phlebotomia imperatur si plenitudo & copia sanguinis,si vehemens obstructio est,si vulnus,casus,concussio, febris,inflammatio, atq; adeò vbi intolerabilis est dolor. Si à reliquo corpore vitium est,primum Axillarem, deinde Cæphalicam , aut semel mediam tundito. Si à suppressis menstruis , aut hæmorrhoidibus,venas malleoli incidito.Perseuerante malo,venam frontis, temporum ; quæq; post aures sita est,aperito:quin & venis sub lingua sectis,dolorem capitis mitigatum animaduertimus.Eam tamen eligito semper,in cuius regionem dolor incumbit magis.

Arteriarũ sectio. Arteriotomia probatur in his , qui ob intemperiem arteriarum capite dolent ac vertigine , atque vbi calidus sanguis & vaporosus dolorem facit, eligenda in fronte , temporibus , aut post aures , quæ micat magis,calet & rubet,& vbi dolor acerbior est. Modum secandi arterias, docet Aegineta perspicuè libro vj.cap.iiij.

Sanguisugæ. Vacuato iam corpore & contumaci malo, sanguìsugæ extremo naso affiguntur, post aures , & venis quæ in caluaria eminent. Aliquando his , qui ita assueti & multi sanguinis sunt , post maiora remedia sanguinem è naribus irritamus.

Cucur-

Cucurbitulæ primũ leues occipitio vel ceruicis initio affiguntur & ad partes inferiores trahuntur, deinde verò cum ſcarificatione. Cucurbitulæ.

Poſt phlebotomiam & ante, purgamus, & aliquando ſine phlebotomia. Ante phlebotomiam leui pharmaco, cuius vis hepar non ſuperet, ſed tantum venter, meſenteriũ, ſima hepatis & inteſtina repurgentur, quale hoc erit. Purgatio.

℞ caſsiæ aut catholici ℥ j. aut caſsię ℥ ſ. quadrante horę ante paſtum. Poſt phlebotomiam ſi quis humor vitioſus in corpore relictus eſt, & ſiquidem recens dolor eſt, materia ſequax, ſubtilis, & tenuis, nulla quoque obſtructio eſt, leui pharmaco vteris, vt Caſsia, rhabarbaro, manna, catholico, in mollioribus & diuitibus. Electuario de ſucco roſarum, diaprunis, hieræ puluere, catholico, in alijs corporibus. Velut exempli gratia.

℞ decoctionis prunorum, tamarindorum, paſſularum, trium florum cordialium quantũ ſatis ſit ad diſſolutionem ℥ ij. mannæ. Aliud.

℞ caſsiæ fiſtulæ ℥ ſ. manæ ℥ j. diſſoluantur in ſupra dicta decoctione, vel ſero lactis, aqua hordei, ptiſana. Non diuitibus loco mannæ penidia imperabis, vel catholici ʒ vj. Caſſiæ fiſtulæ ℥ ſ. aut catholici vel caſsiæ ʒ vj. dia prunis ʒ ij. Ex his omnibus cum ſaccharo fit bolus, aut vt ſupra dictũ eſt diſſoluuntur. Rha

barbarum aliquando per se, aliquando cũ cassia imperabitur. Pueris ℈ ij. infunduntur in aqua endiuiæ cũ modico cinnamomi. Mulieribus ad ʒ j.ſ. viris ad ʒiij. Mollioribus & quibus aluus facilè cõmouetur ʒiij. cassiæ, & ℈ ij. rheubarbari satis esse possunt, ex his fit bolus

Bolus. cum saccharo. Alijs cassiæ fistulæ ʒvj. addimus ℈ iiij. rhabarbari. Puluere hieræ sic vtendum erit.

Hieræ picræ usus. ℞ pulueris hieræ picræ recentis ʒij. excipiatur modica conserua violarum. Aut hæ pilulæ fortiores erunt.

Pilulæ. ℞ pulueris aloes ʒj. masticis, cinnamomi ana ℈ ſ, diagridij grana iiij. cum succo citri fiant pilulæ.

Potiones digestiuæ. In crassis humoribus & viscidis, magnis quoq; obstructionibus, grauior ferè atq; contumacior morbus est, in quibus & phlebotomia, si cætera consentiant, necessaria est, & potiones quæ materiam incidant, attenuent: à quibus purgationes per interualla, validiq́ue clysteres, topica ex ijs quæ incidunt, & attenuant, errhina, apophlegmatismi, suffumigia, diamassemata, frictiones, vincula, cucurbitulæ, sinapismi, setonia, paracentesis, ferrũ, ignis. phlebotomia vt prius instituenda satis amplo vulnere. Oxymellite aut alijs descriptis materijs præparabitur, aut hac potione.

℞ stœ-

℞ stœchados citrinæ ℥ ij. fiat decoctio in aqua purissima ad quartaria tria, in expressione colata dissolue mellis communis, vel mellis albi, vel sacchari albissimi. ℔. s. plus minúsue, & fiat syrupus, vtatur ieiunus & duabus horis ante cœnam, dosi ℥ iij. Hæc potio putredinem arcet, extenuat, deterget, roborat, non solum cerebrum, sed viscera omnia & corpus, laudata Græcis & Arabibus. A qua vsus esse potest syrupi de stœchade incompleti, hoc est, sine aromatibus seu speciebus: atque hinc syrupi completi, hoc est cum speciebus. Eodem modo ex acoro & radice fœniculi oxymel, atque hinc hydromel parari potest. Calidiores syrupi suspecti sunt, vbi plethora, febris, cruditas in primis venis. Hinc enim augentur febres, liquefacta cruditas trahitur in corpus: fusa plenitudo, apoplexias, febres, tabes, & alia mala inuehit. Syrupus.

Purgationes ex hiera diacolocynthidos, agarico & alijs, quale hoc sequens est. Purgationes.

℞ pulueris hieræ diacolocynthidos ʒ. s. agarici trochiscati ℈ ij. masticis, bdellij ana ℈ s, nucis moscatæ gr. viij. cum succo absinthij, formentur pilulæ. Delicatioribus naturis poterunt incorporari pulueres in modico conseruæ anthos. Solent autem parare syrupos quibus per interualla vtendum sit, quos ita Pilulæ. Apozema.

conficies, vt in decocto describantur quæ attenuent, cõcoquant, aperiant, roborent & conuenienter purgent: quale hoc est.

℞ radicis graminis, petroselini, asparagi ana ℥ s. seminis anisi & fœniculi ana ʒ j. betonicæ, stœchados ana p. ij. florum cordialium ana p. j. passularum mundatarum ℥ j. s. liquiritiæ ʒ ij. polypodij quercini ℥. s. agarici trochiscati ʒ vj. foliorum senæ mundatorum & in fine decoctionis positorum ℥ ij. s. fiat decoctio in aqua purissima ad quartaria tria, in colatura dissolue sacchari albissimi quartaria tria, fiat syrupus mediocriter coctus, vtatur singulis hebdomadibus ℥ j. s. cum ℥ ij. hydromelitis aut ptisanæ: æstate potius ptisana, hyeme hydromeli. Aliud fortius.

℞ polypodij quercini, radicis acori, ireos, seminis carthami ana ℥ j. s. seminis anisi, fœniculi, cuscutæ ana ʒ ij. sebesten, ceterach, scolopendrij, betonicæ, sumitatum lupuli, agrimoniæ ana p. j. stœchados Arabicæ & citrinæ ana p. s. foliorum senæ purgatorum in fine coctionis positorum ℥ iiij. agarici recenter trochiscati ℥ j. s. turbith gummosi ℥ j. fiat decoctio ad ℔. j. in colatura dissolue sacchari albissimi & mellis albi benè depurati ana ℔. s. fiat syrupus coctus secundum artem, accipiat ℥ ij. cum hydromellitis aut ptisanæ ℥ ij. semel in duo-

in duodecim diebus. Pilulæ.

℞ agarici recenter trochiſcati ʒ ij. turbith ʒ j.ſ.ſalis gemmæ & zinziberis ana ℈ j.infunde omnia in vino albo, fiat leuis feruor, ſuper calidos cineres,deinde fortis expreſsio,expreſſæ materiæ adde pulueris hieræ diacolocynthidos ʒ iij. pulueris hieræ picræ ℈ iiij. malaxentur cum vino expreſsionis, fiat maſſa, capiat ʒ j. Pilulæ.

Poſt purgationes imperare ſolēt, quæ ventriculum & viſcera roborant:quale hoc eſt. Roborantia.

℞ mithridatici veteris,conſeruæ,bugloſſæ & acori ana ʒ j.capiat mane. Aliud.

℞ ſpecierum electuarij diambræ ʒ j. pliriſarticon & aromatici roſati ana ʒ ſ. excipiantur modico conſeruæ anthos,vel ſyrupi de cortibus citri,aut de ſtœchade fiat trochiſcus.

Repellentibus ſtatim initio vtendum eſt, ſed in dolore calido magis refrigerantibus, vt & in corporibus durioribus, æſtate, regione calidiore,iuuentute. Contra vero temperanda res eſt contraria conditione: quale hoc eſt, quòd vehementer repellit & refrigerat. Repellentia.

℞ olei roſati recentis ℥ ij.aceti albi & aquæ roſarum ana ʒ ij. agitentur diu & refrigerētur in aqua frigidiſsima aut niue. Pro frontali, Primus ordo.

℞ olei roſacei & violacei ana ℥ j. aceti albi, ſucci agreſtę ana ℥ ij.miſce:diuitibus adde cā- Frontale.

phoræ gr. iiij. linteolum immerſum poſca frigida, hoc eſt, mixtura aquæ & aceti, vel in ſuccis ſemperuiui, centinodiæ, portulacæ, lactucæ, pſyllij, roſarum, malorum granatorum, capreolorum vitis, omphacis, meſpili, cucurbitæ, cucumeris, parabilia remedia ſunt. Oportet autem hæc remedia ſubinde renouari, quia ſtatim incaleſcunt. Secundus ordo.

Secundus ordo. ℞ ceroti Galeni diu ſubacti cum ſucco portulacæ aut ſimili ℥ ij. inungatur fronti & ſuperponantur folia ſalicis. Aliud.

℞ mucilaginis ſeminis pſyllij, & ſeminum althææ & cydoneorum ana ʒ vj. agitentur cum modico aceti. Aliud.

℞ olei roſati & chamæmelini ana ℥ j. aceti ℥ iij. hyeme, pueris, eunuchis, & mulieribus conuenit, in quibus nimia refrigeratio periculoſa eſt. Iam progreſſo morbo.

Tertius ordo. ℞ olei chamæmelini, anethini, de lilijs aliquid adijciendum eſt: in frigido dolore. Sed in calido.

℞ vnguenti dialthææ ℥ j. agitetur in mortario, primum quidem cum oleo roſaceo, deinde vt procedit morbus, cum oleo de maſtice, de cydonijs, de ſpica. Diuitibus addi poſſunt grana duo moſchi. Olea conueniunt, chamæmelinum, anethinum, de lilijs, laurinum, maſtichinum, de ſpica, de coſto in quo ſerpillum,

lum, menta, thymus, origanum, rosmarinum, maiorana, calendula, pulegium, behen, nux moschata, caryophylli, cinnamomum coxerint. Veluti.

℞ serpilli Ṃ j. coquantur in quartarijs tribus olei chamæmelini, & ℔. ſ. vini rubri, fiat decoctio ad consumptionem vini in vase duplici, deinde fortis expreſsio, seruetur oleum ad vsum. Aliud.

℞ caryophyllorum, nucis moscatæ ana ℥ ſ. fiat decoctio in quartarijs tribus olei chamæmelini & vini rubri ℥ iiij. ad consumptionem vini vt prius. Aliud.

Oleum stillatitium.

℞ terebinthinæ ℔. j. masticis, cinnamomi, nucis moscatæ ana ʒ j. caryophyllorum, galangæ, zedoariæ, ladani ana ʒ j. ſ. succi ebuli, succi cucumeris asinini ana ℥ j. puluerizatis puluerizandis, omnia misceantur in alembico, destilletur oleum secundum artem. Laudant & oleum zambachinum, id est, iasminũ. Nec omittendum est remedium mulieris apud Paulum. Radices itaque cucumeris asinini concides in taleolas, & cum absinthij coma hydrelæo incoques, fouebis patrem hydrelæo, materiam verò emplastri modo impones.

Rubificantia.

Iam diuturniore & contumaciore morbo, caput tondeatur aut radatur ad cutem, tum

fortioribus vtemur, quale est oleum de castoreo, de euphorbio, quod cōfici oportet ex ℔. olei de cheiri & ℥ ſ. euphorbij vel castorei. Quale hoc erit.

℞ olei de cheiri ℔. ſ. ceræ ℥ j. ſ. liquefiant in vaſe duplici, deinde inſperge, euphorbij ʒ ij plus minúsue. Oppugnandus quoque est morbus maſticatorijs, apophlegmatiſmis, caputpurgijs, pomis adoratis, ſacculis vel cucuphis. Máſticatorium.

Maſticatoria. ℞ maſticis ʒ ij. piperis ʒ. j. radicis capparum ʒ ſ. cum aceto ſcillitico formentur tres pilulæ, teneat in ore & mandet. Idem facit.

℞ ſtaphis agriæ pulueri zatæ, condiſi ana ʒ ij. recipiantur melle, teneantur in ore.

℞ pirethri, ſtaphis agriæ ana ℈ ij. liquiritiæ ℈ j. maſticis ʒ. j. fiant pilulę. Apophleg.

Apophlegmatiſmus. ℞ ſinapi ℥ ſ. hyſſopi p. ij. fiat decoctio in vino rubro cum modico melle fiat gargariſmus.

Errhinum. Errhinnum vel caputpurgium fit ex ſucco vel aqua maioranæ, betæ, anagalidis, cucumeris agreſtis, adiecto pipere, caſtoreo, euphorbio, elaterio, helleboro, condiſo, gallia moſcata, pyrethro, pane porcino, ſinapi, moſco. Succi itaque tepidi & excepti vola manus naribus attrahuntur: pulueres inſufflantur in nares, aut alicui oleo immixti illinuntur, vt oleo de

coſto

costo, de spica, irino & similibus. Delicatis additur modicum mosci aut ambræ, quale hoc est.

℞ succi maioranæ ℥ ij. succi betæ ℥ j. aceti scillitici ℥ ſ. misce fiat caputpurgium, attrahat tepidum naribus. Aliud.

℞ piperis, castorei ana ℈ j. ellebori, galliæ moscatæ ana ℈ ſ. fiat puluis, modicum insuffletur in nares. Aliud.

℞ olei de spica ℥ j. elaterij ʒ j. diuitibus addé mosci gra. ij. illinantur nares interiores. Pomum.

℞ cinnamomi, caryophyllorũ, nucis moscatæ, ligni aloes pulueris maioranæ ana ʒ ij. galliæ moscatæ ʒ j. mosci, ambræ ana gra. ij. fiat omnium puluis. Deinde cum ladano & mastice agitatis in mortario cum modico oleo de spica, de costo, de behen fiat pomum. Cucupha. Pomum.

℞ seminis cumini & fœniculi, baccarum lauri ana ʒ. ij. nucis moscatæ, cinnamomi, caryophillorum ana ʒ j. galliç moscatæ, mastiches, sandaracæ ana ℈ ij. fiat puluis omnium pro cucupha facta cum rasura scarlatæ. Cucupha.

Extrema remedia sunt raso capillo, sinapismi, dropaces, phœnigmi, cauteria, paracenteses, de quibus alio loco.

DE VERTIGINE
Caput II.

Signa. ῖνος Græcis, vertigo Latinis cum caput circumagi videtur: Σκοτόδινος cum tenebræ etiam oculis offunduntur: aut ſpectra rubentia, quæ denunciant maniam: aut rubore ſaturata, quæ epilepſiam. Ex inordinato autem motu ſpirituum vel flatuum

Cauſæ. hæc omnia gignuntur. Aliquando in capite, aliquando ex inferioribus partibus corporis eiuſmodi ſpiritus efferuntur, quod his ferè contingit, qui cruditates colligunt, quibus hepar calidius eſt, quibus ex hepate in ventrem regurgitat bilis, quibus arterioſum genus intemperatum eſt, plenum feruido & ſpirituoſo ſanguine.

Cura: Si in capite primum generatur malum, ijſdem remedijs vtitor pro varietate materiæ, quæ in dolore capitis deſcripta ſunt.

Si ab arterijs, arteriæ poſt aures conuenienter ſecentur.

Si à cruditate, ea concoquatur, & temperantior vita inſtituatur.

Si à regurgitante bile, hæ pilulæ ſingulis hebdomadibus deuorentur.

Pilulæ. ℞ hieræ picræ, rhabarbari electi, agarici trochiſcati ana gra. vij. cum ſyrupo roſato fiant pilulæ nouem, pro tribus doſibus per horam

ram ante cœnam. Alijs diebus vtatur.

℞ ſpecierum aromatici roſati, ſpecierum diatriumſantalorum ana ʒ ſ. ſacchari roſati quantum ſufficit, cum ſyrupo roſato fiat electuarium. Aliud. Electuariũ.

℞ conſeruæ borraginis, bugloſſæ ana ʒ vj. pulueris diamoſchi dulcis & de pomis ana ℈ ij. ſ. electuarium regum ℈ j. ſ. behen albi & rubri, baſilici ana ʒ ſ. ſyrupi de pomis quantum ſufficit, fiat electuarium molle. Vtile eſt etiam & ſæpius expertum in ſimili caſu, præſertim vbi vitium in capite eſt, vti ſequenti decoctione.

℞ veronicæ, euphragiæ, origani, centaurij minoris ana M. j. mentæ, roſmarini, ſaluiæ ana M. ſ. ſeminis aniſi, carui, fœniculi ana ʒ ij. galangæ, zinziberis ana ʒ j. ſ. prunorum damaſcenorum nu. xv. coquantur in ſufficienti quantitate aquæ ad ℥ ix. deinde cola & aromatiza cum cinnamomo, colaturæ adde ſyrupi de ſtœchade, oxymellis ſimplicis ana ℥ j. ſ. fiant doſes tres. Quarto die ſumendę ſunt pilulæ. Decoctum.

℞ pilularum cochiarum, aurearum ana ʒ ſ. ſpecierum hieræ picræ ℈ ſ. miſce & cum ſyrupo de ſtœchade fiant pilulæ nouem. Frictiones vtiles ſunt, & alia quæ capite de dolore capitis dicta ſunt. Pillulæ.

DE PHRENITIDE
Caput III.

Curatio. Venæ sectio

PHreniticos ita curabis. Viribus integris sanguinem detrahes è cæphalica angusto foramine, vt vulnus celerius coalescat, quod etiam fideliter ligabis, aut pice obduces, ne te meritate phrenitici dissoluatur, & ita erumpat sanguis. Obseruandum tempus quo minus furere videatur. Ministris quoque opus est, qui phreniticum contineant, alioquin periculum est, ne agitatione corporis vena phlebotomum eludat, aut amplior adhibeatur plaga, vel locus turpiter laceretur. Detrahatur pro viribus, vitato animi deliquio. Paulus in his qui nimium corpus agitant, venam in fronte: alij venam nasi: Diocles venam sub lingua, diuidũt. Sunt qui auriculas scarificent; Sed hæc omnia non nisi progresso morbo & vacuato corpore tempestiua sunt.

Aër qualis conueniat.

De aere vbi collocentur iam olim disputatum est. Antiqui ferè tales ægrotos in tenebris habebát, cûm quia in luce spiritus agitati, furorem exasperarent, tum tenebras quoque ad somnum & quietem conducere putabant. Asclepiades phreniticos in lumine habendos dixit, quia tenebræ terreant, & lucido loco sensus magis occupantur, & interim mens quiescit. In tenebris contra quietis sensibus mens

altis

altis cogitationibus & visis sese exagitat. Sed hoc ferè Græcis & Latinis perplacuit. Qui luce offenditur, habeatur in tenebris aut mediocri luce collocetur: Quem tenebræ lædunt, in luce collocato: Qui vtroque pariter offenduntur, mediocri luce habeantur, & si vires valeant, lucido magis: si infirmæ, magis tenebroso iuuantur. Hæc & alia plura apud Celsum & Aurelianum in acutis,

Fuit & alia controuersia de tondendis phreniticis. Asclepiades radi noluit, nec etiá tonderi, quia videlicet raso capillo aut detonso copiosior materia in caput attollitur, vnde capilli fruticant magis, & seges detonsa vberius prouenit. Itaque cum oporteat materiam à capite reuolui, non in caput attrahi, non erunt tondendi. Hoc verò reliquis omnibus Medicis placuit. Tondendi phrenitici, radendi etiam nisi prohibeat frigus, remissionis tempore, longius à cibo. Sic enim remedia commodius adhibentur, caput leuatur onere & fumi facilius digeruntur. An capue radendum.

Misso sanguine, molliusculis clysteribus vtemur, interim etiam acriusculis, & maximè si phlebotomia omissa est, qualis hic erit. Clyster.

℞ decoctionis furfurũ ℔.j. in qua dissolue catholici ℥vj. sacchari rubri, mellis rosati colati ana ℥j, olei violati ℥ iij. sal. cõmunis ʒ ij misce.

Purgatio. Imperandæ etiam purgationes leues, quales descriptæ sunt in dolore cholerico, aut tales.

Potio. ℞ succi granatorum acidorum & dulcium ana ℥ j. ſ. ſacchari in aqua endiuiæ diſſoluti ℥ j. miſce & fiat potus. Vel.

℞. Succi roſarum ℥ ij. ſacchari ſimiliter diſſoluti ʒ v j. leuiter ferueant in calidis cineribus. Opulentos adhibitis miniſtris continebis, aut etiam vinculis colligabis vt pauperes.

Vincula. Vincula enim vtilia ſunt, quia motum retinēt & materiam à capite reuellunt.

Topica refrigeranda. Topica. Vitandus aſsiduus refrigerantium vſus ne in lethargum mutetur morbus. Deinde quia conſtringunt poros ex quo fumi in capite retinentur. Licebit vti ijs, quæ in capitis calido dolore deſcripta ſunt. Primum quidem repellentibus, deinde ijs admiſcendum erit chamæmelinum oleum. In declinatione etiam vti licet oleo in quo ſerpillum & alia huiuſmodi coxerint.

Somni conciliatio. Vt concilietur ſomnus hordeata parentur ex aqua decoctionis quatuor ſeminum frigidorum. Perfundatur caput & facies, abluantur pedes & manus: excipiatur quoque vapor hoc modo.

Lotio pedum & faciei. ℞ violarum, hordei excorticati, capitum papaueris albi, radicum mandragoræ ana M. j. fiat de-

fiat decoctio in aqua purissima, vbi refrixerit, facies ægri inde abluatur,& pedes quoq;. Deinde spongia submersa in decocto subinde naribus admoueatur.

Iuscula cum capite vno papaueris albi coquantur, sæpe etiam lactuca alterentur. Vel hoc nodulo. Iuscula.

℞ quatuor seminum frigidorum maiorũ, papaueris albi ana ʒ ſ. fiat nodulus, qui imponatur iusculis. Vtatur cichorio & lactuca elixis & modico saccharo violato conspersis. Suauiter quoq; somnum inducit post pedum lotiones,& alia supra dicta,sequens clyster. Nodulus.

℞ herbæ matris violarum, lactucæ, parietariæ,foliorum salicis,mercurialis ana M.j.florum nenupharis M.j.seminis lactucæ,endiuię ana ʒ iij. prunorum nu. xij. coquantur in sufficienti quantitate aquæ ad medias ; colaturæ sumatur ℔ j. confectionis hamech ℥. ſ. diacassiæ,sacchari rubri ana ℥ j.olei nenupharini & violacei ana ℥ j.ſ. vitellum oui vnius. fiat enema. Frontalia. Clyster.

℞ olei rosarum ℥ j.aceti ʒ ij. vnguenti populeonis ʒ iij. misce pro frontali. Oleum in quo viua torpedo extincta sit, ac deinde coxerit, in quo etiam coxerit lactuca, folia aut capita papaueris recentis,oleum violatum,de nenuphare,de papauere, de mandragora, de cucurbita,Quale hoc est. Frontalia.

℞ olei de mandragora ℥ j. vnguẽti populeonis ℥ ſ. aceti ʒ ij. ſimul agitentur & miſceantur pro frontali. Aliud fortius.

Capiti imponenda. ℞ opij, croci, ana ℈ j. diſtemperentur in vini albi & aquæ roſaceæ ana ℥ j. cum linteolo in eo madefacto fiat frontale. Somnum etiam conciliat, & phreniticorum feruorem mitigat, ſtuppa canabina in aceto tepido cum albumine oui diu agitato & oleo nenupharino infuſa, & capiti impoſita. Aut ſi hoc parum proficiat, ſuperponatur capiti catulus paruus, qui adhuc lactet, per medium dorſum diſſectus, remotis inteſtinis: aut gallus gallinaceus ſimiliter diſſectus & ſuperpoſitus: aut denique pecoris ſiue arietis iam iam mactati adhuc calens pulmo.

Conciliato ſomno & expergefacto ægro facies abluatur cum decocto chamæmeli, anethi. Non vtendum ſomniferis quæ intro ſumuntur, niſi vires valeant, alioqui horum vſu languidus calor extinguitur. Porro ſi quæ exterius adhibentur, nihil proficiunt, dentur ſequentia.

Syrupus ad ſomnum. ℞ ſyrupi de nenuphare, de papauere ana ʒ vj. decoctionis lactucæ ℥ ij. fiat potus, detur hora ſomni. Aut.

Decoctio ad ſomnũ. ℞ lactucarum p. j. dactylos nu. tres, caput vnum papaueris albi, fiat decoctio ad ℥ iij. in quibus

quibus dissolue syrupi rosarum ℥ j.ſ. misce, detur hora somni. Aut.

℞ rosarum, violarum, absinthij, ana ℥ ſ. opij, gra. j. simul mixta leuiter bulliant, colatura cum ℥ iij. iusculi pulli sorbeatur. Nimium sopitos ita excitabis.

℞ succi radicis fœniculi ℥ ij. ſ. aceti albi in quo nux moscata coxerit ℥ j. ſ cum spongia ex aqua hyssopi expressa, & rursus madefacta in supra dicto succo fiat applicatio ad nares. In eundem vsum pulegium aut hyssopus teritur ex aceto & naribus admouetur. Sopiti quibus excitandi.

In declinatione morbi remanente virium totius corporis imbecillitate, & præcipuè cordis sequenti electuario confortari potest. Restauratio uiriū.

℞ conseruæ rosarum, nenupharis, buglossę ana ʒ iij. pulueris diamargariti frigidi ℈ j. coralli rubri ʒ ſ. seminis pæoniæ ℈ ij. seminis portulacæ, acetosæ, endiuiæ ana ℈ j. auri foliati ʒ ſ. quod etsi nimium videatur, temere tamen nó mutaui, sacchari quantum sufficit, fiat electuarium auro coopertum, de quo vtátur sępe cum potu suo, aut etiam sine potu cum volet.

DE APOPLEXIA
Caput IIII.

APoplecticum hoc modo curabis: Hominem agitato, concutito, fricato, sæpe e- Curatio.

nim similes apoplecticis concidunt ex leui ob structione, quę agitatione corporis discutitur. Ea obstructio à crassis vaporibus esse potest, vel quia pauca ea materia est quæ obstruit. Similes quoque apoplecticis sunt, qui apoleptici

Catalepsis. & cataleptici verius dicentur, ex plenitudine totius corporis vel capitis, vnde viæ spiritales intercipiuntur. Quibus vena brachij in-

Venæ sectio. terna quidem, si totius corporis plenitudo est: cæphalica, si tantum capitis, statim aperienda est. Hoc enim remedium sæpe satis est. Eiusmodi est historia apud Aetium capite de Ca-

Historia. talepsi. Iuuenis quidam multi sanguinis, derepente mutus factus est, tres dies integros ita iacuit, quartò die multo profluuio sanguinis liberatus est, ἀφωνίαν Græci vocant.

Apoplexia In apoplexia, quam frigidus & crassus humor excitat, priuatione motus & sensus, ac propè extincta rectrice anima, hominem loco lucido & tepido collocato, ac corpus vehementius concutito, tum multa frictio conuenit, vnctio ex oleo calente, & maximè earum partiũ quæ magis refrixerint.

Venæ sectio. In phlebotomia quæ vel hominem liberat vel occidit, ita te gerito. Si nihil repugnat, præparato prius corpore & in tempore venam cęphalicam incidito: parum detrahito. Post aliquot horas si perseuerat malum, alteram cæ-

phalicam

phalicam vulnerato, nec ita multum ſanguinem detrahito. Hæc vero repugnant, quod aliquando immodica venere aut alia quauis ſpirituum inanitione virtus corporis exhauſta eſt. Hic ſcarificatione, cucurbitulis, ſanguiſugis toto corpore fixis contentus eſto: quemadmodum etiam in obæſis, corporibus mollioribus & debilioribus, in quibus venę vel nō apparent vel non ferunt phlebotomiam. Præparatur corpus ſubducto prius ventre, totius corporis fotu ex oleo chamæmelino calido, anethino aut ſimili: aſpera frictione, concuſsione corporis & ambulatione, vt ſanguis craſſior & frigore gelatus recaleſcat, attenuetur & melius effluat. Oportetq; iuſtum vulnus infligere, alioquin ſubſiſtit ſanguis: quanquam nō vniuerſim, ſed interuallis detrahendus ſanguis eſt. Occaſio eſt in remiſsione, aut quo tempore non ingraueſcit malum. Remiſsio intelligitur liberiore, quàm antea, ſpiratione, pulſu meliore, & vbi partis alicuius torpor cepit egelidari: alioqui ſi, quod ſæpe fit, aliter venam aperias, aut ægrum præcipitabis, aut nihil iuuabis exitu materiæ negato.

Corporis ad phlebotomiā præparatio.

A phlebotomia ſpes ſalutis eſt, ſi pulſus, reſpiratio, faciei color, partium frigus, mens, motus, ſenſus, omnia aut ex his aliqua in melius conuertantur: alioqui ſi accreuerit malum ex

Prognoſticon.

altera cæphalica iteranda sectio est. Quod si nec tunc quidem proficitur, desperatur æger.

Secta vena, quiescat æger, atq; interim stomacho & visceribus reliquis consulamus.

Stomachi corroboratio.

Stomacho quidem hoc modo. ℞ olei de spica ℥ iij. masticis ℥j. liquefiant in vase duplici & cum cyperi, macis, cinnamomi ana ℈ ij. coralli rubri ℈ j. misceantur, cum flocco rasuræ scarlatæ aut cotone applicetur calidum. Potest etiam aliquid syrupi rosarum deuorari.

Viscerum corroboratio. Potus.

Visceribus vero, vt hepati & lieni. ℞ summitatis absinthij. M j. seminis carui, cumini, ana ℥ ß. fiat decoctio in oleo & vino singulorum quantum satis est, inde foueatur regio hepatis & lienis.

Clyster.

Post hæc clyster acris inijciendus est ex decocti capitalis ℔.j. adiectis seminibus carui, cumini, baccarum lauri ana ℥ ß. deinde in decoctione dissoluatur puluis hieræ picræ, et diacolocynthidos ana ʒ iij. olei anethini ℥ iij. misce fiat clyster. Sæpe autem fit vt resistat clyster, aut per os euomatur, tum inde ano hoc suppositorium.

Suppositorium.

℞ pulueris hieræ diacolocynthidos ʒ ij. castorei, seminis carui & rutæ ana ℈ ij. salis gemmæ ℈ j. cum melle quantum sufficit, fiat suppositorium benè longum. Quod si nec hoc modo aluus quicquam reddit, cucurbitulis vtendum est: ex libro de cucurbitulis. Reddito clystere

ſtere aliquantiſper quieſcat æger: poſtea vero exhibeatur in potu.

℞ pulueris hieræ diacolocynthidos ʒ ij. theriacæ veteris ʒ j. diſſolue in aqua vitæ & calendulæ ana ℥ j. cum cochleari aut ſyphone infundatur in gulam. Potio ori infundẽda.

Interim quoque vtendum eſt remedijs quę apoplecticum excitant. Oleum vitrioli plurimum commendatur: quod ſi deeſt, diſſoluanrur ʒ ij. vitrioli in ℥ j. olei de ſpica, de coſto, de caſtoreo, de ſcylla aut ſimili, ad hunc modum. Quæ excitant apoplecticum.

℞ ſcyllæ conciſæ in taleolas ℥ ij. caſtorei ℥ ſ. vitrioli ʒ iij. fiat decoctio in olei anethini & vini ana ℔. ſ. ad conſumptionem vini. Illinantur nares & palatum hoc oleo. Sunt autem & alia quæ apud Græcos & Arabes inuenies. Alia potio. Oleum.

℞ caſtorei ℈ iiij. maſticis, ſeminis rutæ, ſantali citrini, nucis moſchatæ ana ℈ ſ. ponantur in manica Hippocratis. Cum ijs coletur quater aquæ vitæ & calendulæ ana ℥ j. ſ. infundatur in gulam. Alia. Potio.

℞ conſeruæ iris, acori ana ℥ ſ. diu agitentur in mortario ex aqua ſaluiæ ℥ ij. fiat fortis expreſsio cum ſupra dicta aqua vitæ fiat potus.

Suffumigium. ℞ capillorum hominis minutim conciſorum ℥ ſ. caſtorei ℈ ij. ellebori Suffumigiũ.

℈ j. incorporentur cum opopanace fiat suffumigium. Caput purgijs fortioribus, illinitionibus palati ex pulueribus masticatorijs apophlegmatismis, vtendum est. Sed prius suffumigijs & vaporibus materia incidenda est. Radendum quoque caput est, fouendumque ex oleo calente in quo pulegium, serpillum, aliaq; eiusmodi coxerint. Dein dropacibus, sinapismis, sartagine Rasis vtendum est. Cucurbitulæ quoq; & sanguisugæ iam benè purgato corpore conueniunt.

Dropax. Dropax. ℞ olei rutacei ℥ iij. picis nigræ ℔ j. liquefiant in vase duplici, deinde adde pyrethri, sinapi, piperis albi ana ʒiij. misce & extende in aluta, calidum appone, renoua priusquam infrigescat.

Sinapismus Sinapismus. ℞ ficus pingues q.s. leniter incoque, deinde cum duplo seminis sinapi contunde ad formam emplastri. Aliud.

℞ oxycrocij ℥ iij. fortiter agitetur in mortario cum oleo laurino, deinde addantur granorum sinapi, pyrethri, staphidis agriæ, piperis albi, euphorbij ana ʒij. misce.

Sartago Rasis. Rasis sartaginem calefieri iubet dum candeat, & de proximo admoueri capiti: Aliqui palam ferream ita calefaciunt & similiter capiti admouent. His remedijs per longiora interualla vtendum est, aut breuiora, vt res patitur.

titur. Apoplexia ſecundo aut tertio die iugulat, aliquando primo, vt ergo celerior eſt aut minus celer, ita erunt interualla remediorum aut breuiora aut longiora.

Paratur nobile medicamentum ad apoplexiam per deſtillationem. In aquam vitę aliquoties purificatam flores roſmarini infunduntur & macerantur, qui poſtea exprimuntur & abijciuntur: in eandem rurſus alios recentes flores inijciunt rurſumque exprimunt, idque ſæpius atque iterum, ad eum ferè modum, quo ſyrupus roſarum multarum infuſionũ in pharmacopolijs paratur, repetunt, & tandem deſtillant, ſicque vi ignis efficaciſsimum liquorem ad hunc & alios frigidos morbos eliciunt. Aqua ex floribus roſmarini.

DE LETHARGO
Caput. V.

LEthargi ſigna colliges ex Aetio, prædictionibus Hippocratis Coi, de cauſis pulſuum quarto: ſed pleniſsimè ex Aureliano lib. ſecundo acutorum. Signa.

Lethargum cognitum ita curabis: Initio materiam repelles, deinde ægrum excitabis, tum materiam vacuabis, poſtremo confirmabis caput, accidentia corriges, & in primis rationem vitæ inſtitues. Loco autem lucido & tepido ęgrum collocabis. Curatio.

Repulsio materiæ. Materiam repelles oxyrrhodino: hoc autem minus aceti recipiat quam in phreniticis. Deinde oxyrrhodinum parandũ erit ex oleo rosaceo, chamæmelino, adiecta minore parte aceti: Exempli gratia.

Oxyrrhodina. ℞ olei rosati & chamæmelini ana ℥ ſ. aceti ʒ iij, oportetque effundere oxyrrhodinum, in eam partem capitis, vbi commissura est coronalis. Tum clysteribus acribus & suppositorijs vtendũ est, qualia in Apoplexia descripta sunt.

Aegrum excitantia. Postea vero frictionibus, vinculis, vellicationibus, partim vt ijs materia reuellatur, partim vt æger inde excitetur, vti conuenit. Excitatur quoq; hac potione.

Potio. ℞ mithridatij ʒ j. dissolue in aquæ vitæ & calendulæ ana ℥ ſ. Similiter theriaca vti licet, sed tutius post clysteres acres & euacuationes. Et hoc quoque excitat.

Suffumigium. ℞ Castorei, lapidis gagatis, cornu cerui, abrotoni, capillorum hominis, ana ℈ j. excipiantur pice humida, fiat fumus qui adhibeatur naribus.

Euacuatio materiæ. Statim ab initio, si corpus sanguineum est & vires tollerant, è cæphalica detrahẽdus sanguis est. In lethargo clysteribus & glandibus acribus potius, quàm pharmacis purgantibus vtendum est. Vbi tamen diuturna paſsio est, & vires tollerant, vtimur primum syrupis incidenti-

çidentibus, quales antea descripti sunt. Deinde ex hieris, picra & diacolocynthide & agarico purgamus. Postea cucurbitulas ceruicis initio ac deinde scapulis, metaphreno, lumbis & cruribus affigimus. Cucurbitulæ.

Ab his ad localem purgationem veniendū est per errhina, diamassemata, illitiones palati & capitis, dropaces, sinapismos, phœnigmos. Pulegium itaque, thymum, origanum, aliaq; id genus incocta aceto naribus ita admouebis, vt calidus vapor ad cerebrum perueniat, ex quo nares inunges hoc modo. Topica. Errhina.

℞ olei irini ℥ j. aceti scyllitici ℥ ſ, castorei ʒ ij. misce. Postea etiam errhinis supra descriptis vti licebit. Pallatum illines sinapi trito ex aceto & melle commixto. Cumque hæc fiunt, per interualla clysteres inijcies.

Caput æstate rades, hyeme detondebis, fouebisque primùm ex decocto serpilli, satureię, pulegij, origani coctorum in oleo & aceto. Deinde inunges & fouebis oleo philosophorum, de gagate, sinapino, de piperibus, de euphorbio: quæ à Mesue describuntur, alioqui irino, sampsuchino, hoc est, de maiorana, aut ex rosmarino temperato. Vel hoc cerato. Capiti admouenda.

℞ olei laurini ℥ iiij. ceræ tantundem, liquefiant in vase duplici, fortiterque agitentur cum succo apij & rutæ, quibus adde casto- Ceratum capiti.

ſtorei pulueriʒati ℥ j. Hinc ad dropacem prius deſcriptum tranſeundum eſt, ex quo ad ſinapiſmum. Sinapiſmo autem ſic vtendum eſt, vt ſimul atque erubuerit reuellatur, parsq́ue ex oleo calido foueatur. Quod ſi dolor vehemens inde excitatus eſt, leniendus erit roſaceo, meliloti, chamæmeli, aut maluæ decocto. Oportet autem ſinapiſmum ſubigi ex aqua, vt vult Oribaſius, non ex aceto vt recentiores ferè Medici, & olim Archigenes. Aetius ex aqua vbi præmaduerint ficus ſiccæ. Credidit enim Oribaſius vim ſinapiſmis aceto diſſolui, id quod experientia didici. Huic rei vtilis eſt diacapregias Aureliani, aliorum diaſpyrathon ex caprino ſtercore, aceto vel poſca ſubacto.

Sinapiſmus

Phœnigmi.

Sunt & phœnigmi qui rubificant ex naſturtij ſemine, ſinapi, helenij radice, columbarum agreſtium ſtercore, ſcylla in mortario trita & illita, alliorum tunica, lacte tithymalli, cantharidum puluere, vrtica, attramento ſutorio, euphorbio. Hæc autem tandiu inhæreant, dum pars erubeſcat. Si quæ ampullæ excitatæ ſunt, contundantur. Ampullas attollit quod ſequitur.

Phœnigmus.

℞ ſinapi, piperis, euphorbij, ana ʒ j. incorporentur melle anacardino, & in pare ſinátur dum ampullæ tumeant.

Mellis anacardini confectio.

Mel anacardinum ita fieri oportet. Anacardia

dia ſeptem diebus in aceto macerabis prius cō trita, tunc in eodem aceto coques dum tertia pars aceti cōſumpta ſit, refrigerari ſines. Quod ſupernatabit oleoſum, mel eſt anacardinum. Albucaſis in aqua macerat & coquit. Alij mel anacardinum vocant in quo anacardia fuerint condita. Oportet autem dum hæc fiunt, quemadmodum in Apoplexia ſtomacho conſulere & viſceribus.

DE CARO.
Caput VI.

CArus cum Lethargo conuenit, ſed maior ac profundior ſopor eſt. Stimulati non excitantur: interrogati non reſpondent. Signa.

Eadem curatio quæ lethargi, niſi quod magis incidentibus & attenuantibus vtendum eſt. Eſt & quoddam genus delirij inter phrenitidem & lethargum ex bile & pituita. Veteres τυφωμανίαν, aut τυφωνίαν appellarunt, in qua affectione ſi ſuperat bilis, Coma peculiariter appellatur: Si pituita, Catochus. Fit & Coma vbi calidioribus & humidioribus vaporibus à reliquo corpore ſublatis caput repletur. Catalepſis nomen ambiguum eſt: nam aliquando ſubita vocis amputatio, ſenſus & motus priuatio intelligitur: quam ἀφωνίαν Hippocrates appellauit: Græci etiam ἀπόληψιν. Ea interim

Curatio. Typhomania. Coma. Catochus. Catalepſis. Aphonia.

fit plenitudine ſanguinis quæ vias ſpiritus animalis intercipit. Sed quæ peculiariter Catalepſis appellatur, à melancholico ſucco aut vapore poſterius cerebrum replente & obturante fit, de repente muti fiunt neque concidunt, ſed in eodem habitu permanent, apertis oculis, ſi prius apertis eſſent: ſtantes, ſi ſtarent: ſedentes, ſi ſederint. Ex quo vulgus credidit non dolere, aut ita mortuos; ſed vt loquuntur raptos.

DE PARALYSI.
Caput VII.

Paralyſis quid.

PAralyſis de qua hic agimus, familiaris apoplexiæ, reſolutio eſt dimidij corporis non totius: quarundam partium, non omnium: à craſſo & frigido humore, à quo neruoſum genus remollitur & reſoluitur.

Curatio.

Curatio in his ſic inſtituenda. Primùm clyſtere vtendum eſt: molli quidem, ſi diutius fœces alui ſubſteterint, deinde etiam acriori. Partes reſolutæ oleo moderato, ſed calente, fouendæ ſunt.

Venæ ſectio.

De phlebotomia non conuenit inter Græcos & Arabes. Detrahendus quidem ſanguis eſt mediocriter ex Cæphalica partis integræ authoribus Græcis. Frigidum enim eorum corpus

corpus est, itaque larga sanguinis missione languidum calorem extingui metuunt. Rasis & qui hunc sequuntur, ex vtraque Cæphalica ad tres aut quatuor libras, postridie etiam ex venis sub lingua, sanguinem auferunt. Græcis tutius adhærebis.

Victus instituendus, primùm quidem qui leniter incidat, attenuet, detergeat. Potus sit hydromel ex sextupla aqua, in qua modicum stœchados aut aceti aut ireos Florentinæ coxerit, velut exempli gratia. Horum aut similiũ ℥ j. in ℔ iij. aquæ. Quale hoc est. Victus ratio. Potus.

℔ radicis ireos Florentinæ ℥ j. coquatur in ℔. ij. aquæ, dum dimidum libræ consumptum sit, in colatura dissolue mellis communis quartarium vnum, fiat hydromel despumatũ. Poterit & cinnamomum & macis, nux moscata & caryophylli in aqua decoqui atque inde hydromel parari. Aut sic. Hydromel.

℞ aquæ fontis ℔. xx. mellis communis bis despumati ℔. j. ß. radicis acori ℥ j. succi sampsuchi ℥ ß. nucis moscatæ ʒ iij. decoquantur vsque ad consumptionem quartæ partis, coletur & fiat melicratum ad ℔, xv. vtatur tempore sitis. Loco etiam mellis saccharo vtemur si febris suspicio est, modicoque cinnamomi aut rerum eiusmodi, vti oportebit. Quale hoc est.

℞ aquæ coctæ ℔. j. coletur per manicam

Hippocratis cum ſacchari ℥ iij. & ʒ ij. cinnamomi. Delicatus, magisque medicatus potus hic eſt.

℞ ſaccari alibi ℔. j, aquæ puriſsimæ ℔. xij. cinnamomi ℥ j.ſ. zinziberis, galangæ ana ℥.ſ. zedoariæ ʒ iij. acori veri ʒ ij. ſeminis pæoniæ ʒ j.ſ. ſaluiæ ſiccæ p j. depurentur & coquantur vſque ad ℔. viij. Vtatur aſsis carnibus, quę caryophyllis, cinnamomo, & lardo configantur: vel lardum quo figuntur, aſpergemus puluere cinnamomi, nucis moſcatæ & caryophyllorum. Vtatur granis pini conditis & piſtaciorum. Teneat frequenter in ore fruſtula nucis moſcatæ maſticando. Conuenit & caro columbarum, & cerebellum ex lepore. In decoctis ſaluia, maiorana, hyſſopum. Manus ex aqua decoctionis ſaluiæ abluantur. Abſtineant aqua, & vino & longiori ſomno: Aer columbarum à proprietate occulta paralyticis confert.

Cibus.

Humorum præparatio & euacuatio.

Materia potionibus incidenda, vt hydromelite, in quo ſtœchas, cæteraque eiuſmodi coxerint. Deinde purgant hac potione.

℞ hieræ picræ Galeni ʒ iij. diacatholici ℥ ſ. electuarij de ſucco roſarum ʒ j. mellis roſati colati ʒ vj. aquæ meliſſæ, betonicæ ana quantum ſatis eſt, fiat potio. Aut.

Syrupus.

℞ radicum acori ℔. j. ſaluiæ M. iij. ſtœchados

dos p. iij. fiat decoctio in ℔. tribus aquæ, ad medieatis consumptionem, in colatura tempera agarici albi ℥ j. ſ. foliorum ſenæ ℥. ij. zinziberis, cinnamomi ana ʒ. j. in colatura diſſolue, ſacchari & mellis ana ℔. ſ. fiat ſyrupus perfectè coctus, de quo capiat bis vel ter in hebdomada per tres horas ante paſtum. Aut in forma boli ſeu pilularum.

℞ pulueris hierę diacolocynthidos ʒ ij. maſticis, bdellij ana ℈ j. nucis moſcatæ, ſpicæ roſarum ana ℈ j. miſce in forma boli. Vtemur etiam vbi ex vſu eſſe videtur, pilulis imperialibus, aſſaiereth, de agarico, fœtidis, cochijs & alijs quoq; ſupra deſcriptis capite de Soda phlegmatica: quo loco etiam ſyrupi deſcripti ſunt, qui plurimum conferent, ſi per interualla paralyticis imperentur. Dum hæc fiunt, oleo calente, ſed temperie non ita calida, reſolutæ partes fouendæ ſunt. Stomacho etiam & viſceribus vt prius conſulendum eſt. Bolus.

Conſeruæ quoque imperandæ ſunt, iuæ, anthos, ſaluiæ, ſtœchados, enulæ, gentianæ, acori, ireos, zinziber conditum, nux moſcata condita, theriaca, mithridatium. Doſis conſeruarum ad ℥ j aut ij. quas vtiliter commiſcebis cerebro leporis aſſo, quod peculiari natura ſcribunt conuenire paralyticis. Præſcribatur igitur hoc modo. Conſeruæ conuenientes. Cerebrum leporis.

℞ conseruæ iuæ, saluiæ, & anthos ana ℥ j. cerebri leporis recenter assi ℥ ß. cinnamomi, nucis moscatæ ana ʒ j. cũ saccharo in aqua iuę dissoluto fiat electuarium secundum artem. Huius detur ℥j. vespere, duabus horis ante cibum, & in ingressu lecti. Theriaca & mitridatium vt & alia omnia remedia fortiora magis conueniunt post purgationes. Dosis ℈ ij. aut ʒ j. quæ interim miscebis cum conseruis. Aliquãdo dissolues in hydromelite, in aqua vel decocto iuæ, calendulæ, rorismarini, saluiæ, stœchados, aqua vitæ, aut vitis.

Electuariũ de leporis cerebro.

Post hæc cucurbitulæ locis affectis sine scarificatione aptandę sunt, ac deinceps collocandæ, sed maxime radicibus neruorum ad fines dorsi & neruorum. Probant quoque vomitiones semel in hebdomada, stuphas siccas & balnea.

Cucurbitulæ.

Vomitus.

Stuphæ parari debent ex decocto herbarũ conuenientium, maioranæ, saluiæ, hyssopi, origani, calamenti, calendulæ, sarmentorum vitis, pulegij, serpilli, stœchados, rerumque eiusmodi. Collocabitur resolutum corpus loco benè concluso, ne fumus decocti euanescat. In decoctum silices candentes inijciemus vt fumus fiat.

Stuphæ.

Ex ijsdem rebus balnea comparantur. Probant quoque balneum decoctionis vulpis integræ

Balnea.

tegræ cum herbis ſupra enumeratis.

Inunctiones primum molles, deinde acriores. Partes itaque primo oleo chamæmelino, de meliloto, anethino, amygdalarum dulcium, de lilio, hyperico, iaſmino, Keiri, de nucib. de ſemine lini, de maiorana, de galbano, nardino, canabino, raphanino, de caſtoreo, de coſto, de ſpica, laurino, de cucumere aſinino, ſinapino, de pipere, de euphorbio, de pyrethro. Oportetque paulatim à leuioribus ad fortiora progredi. Flocci lanæ in his oleis immergendi ſunt, & ex ijs fouendæ partes affectæ, poſtea etiam ſunt tegendæ. Olea componuntur ex olei quatuor aut quinque partibus, aquæ iuæ, aut ſucci conuenientis vna parte, & aliorum quorundam medicamentorum decima, quale hoc eſt. Inunctiones partiũ. Olea.

℞ olei de Iaſmino ℔. j. aquæ ſaluiæ, aut ſucci iuæ, vel vini in quo iua coxerit ℥iij, caſtorei, pyrethri, euphorbij, piperis, belzoimi, aſſæ fœtidæ, opopanacis, galbani, lapidis gagatis, horum vnius ℥j. fiat decoctio ad aquæ, vini aut ſucci conſumptionem. Olea compoſita. Oleum de ſcylla prius deſcriptum. Aut.

℞ terebinthinæ ℔. ij. laterum antiquorum, aut (vt Albucaſis) recentium in oleo Iaſmino extinctorum, maſticis, ſtyracis ana Oleum deſtillatum.

℥ ſ.belzoimi ℥ ſ. fiat deſtillatio in alembico vitreo : tres humores fluunt, quorum tertius erit optimus. De oleo de Lateribus lege Meſuen . Balſamum & oleum Balſaminum mirabiliter commendant,ſed rariora ſunt & tantum principum. Sed his reſpondere volunt, quod ſequitur.

Balſamum artificiale.

℞ thuris albiſsimi, maſticis, ana ℥ ij.ligni aloes ℥ j.caryophyllorũ,galangę,cinnamomi, zedoariæ,nucis moſcatæ,cubebarum ana ʒvj. myrrhæ, aloes, ladani, ſarcocollæ, caſtorei ana ℥ ſ. baccarum lauri , nucleorum pini ana ʒvj.ireos , ariſtolochiæ rotundæ,dictamni, conſolidæ maioris ana ℥ j.gummi elemi,opopanacis,belzoimi ana ℥ ij.ſucci iuæ, ſucci herbæ paralyſis ana ℥ iij.terebinthinæ ad pondus omnium. Omnia incorporabis,deſtillabis in alembico vitreo,extillabit aqua primum,dein de velut oleoſum quid , poſtremo quaſi mel. Probatur & oleum vulpinum deſcriptũ à Meſue:& hoc quoque.

℞ vnguenti de bdellio ℥ iij.liquefiat in vaſe duplici cum olei de terebinthina , de ſcylla aut ſimilis ℥ iij.Parabiliora ſunt hæc.

Vnguentũ.

℞ olei lumbricorum , olei de terebinthina ana ℥ iij,aquæ vitæ ℥ j.pyrethri, caſtorei,coſti , ana ʒ ij. bulliant ad aquæ vitæ conſumptionem, fiat vnguentum, quo vngatur collum,

lum,ſpina dorſi,& iuncturę partis dolentis. In eundem vſum paratur ſequens linimentum.

℞ aſſæ fœtidæ, ſerapini,opopanacis,galbani,armoniaci, euphorbij,ana ʒ ſ. liquefiant ad ignem,caſtorei ʒ j.ellebori,hermodactylorum ana ʒ ſ.pyrethri, ſinapis, piperis albi ana ℈.ij. ol.laurini ℥ j.ſ. ceræ parum fiat vnguentũ,vngatur nucha,& pars affecta. Aut.

℞ olei chamęmelini,vulpini, coſtini ana ʒ iij. Miſce,vngantur partes iam dictæ, & aſpergantur poſtea ſequenti puluere.

℞ pulueris cimini ʒ j.piperis longi ʒ ſ. Miſce. Optimum autem eſt corpora paralytica inungi ad ignem factum è ſarmentis vitium. Mollis aluus perpetuo ſeruari debet clyſteribus aut leuibus pharmacis vel ſuppoſitorijs. Modus operationis medicamentorum & eorum quæ partibus affectis apponuntur vnctionum, dropacum, ſinapiſmorum,phœnigmorum eſt,vt pars in ruborem attollatur, non exulceretur, & cucurbitularum breuis mora eſſe debet, ne quod attractum eſt diſſoluatur. Sunt qui certum experimentũ dicant, ſi pars decocto maioris tithymali foueatur,deinde folia eius integra ſuper ponantur. Errhinis vel apophlegmatiſmis vt prius vtendum eſt. Apophlegmatiſmis cum nodulo aut baccillo ori appoſito,vt diximus.

Paraliticis & neruorum doloribus laborantibus, vinum prorsus fugiendum est. Potus sit illis mulsa, aqua mellita, quæ fit ex partibus octo aquæ, duabus vel tribus mellis albi, vel sacchari. Coquantur omnia simul, colentur per manicam Hipp. cum ʒ ij. cinnamo; vel decoctum aceti conditi.

DE SPASMO CANINO. *Caput* VIII.

Spasmus Caninus quid.

SPasmus Caninus est subita contractio, vel extensio neruorum & musculorum masticatoriorum, & eorum qui peculiariter lati appellantur. Animaduertendum autem vtrum resolutio sit, an conuulsio. In resolutione pars affecta laxa, mollis, à sana trahitur. In conuulsione dura & contenta trahit sanam. In resolutione saliuatio multa: in conuulsione, non ita.

Signa.

Curatio. Sang. missio.

In materia frigida causa efficiente huius passionis, si nihil repugnat, sanguis mittendus, sed moderatè. Primum quidem è cephalica, deinde è venis sub lingua.

Digestio humoris.

A sanguinis missione incidendum & attenuandum est, hoc modo:

℞ acori & stœchados ana M. ſ. fiat decoctio in quinque quartarijs aquæ purissimę, colaturæ addatur mellis communis ℔ ſ. plus minúsue

núsue, fiat melicratum despumatum, aromati cetur cum ʒ j. nucis moschatæ. Quod si res vr get (acuta enim hæc & tarda aliquando passio est) clysteres acres inijcies.

Purgabis ex hiera Passij ex descriptione Scri bonij, cuius hæc est descriptio: Euacuatio.

℞ pulpæ colocynthidos ʒ iiij. opopanacis & sagapeni ana ʒ j. & grana vij. marrubij, stœchados, agarici, chamædryos ana ℈ iiij. petroselini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi ana ℈ ij. cinnamomi, spicæ nardi, myrrhæ electæ, folij, croci ana ʒ ſ. & grana iiij. Opopanax & sagapenum in mortario tundantur cum affusione modici mellis liquidi, aut syrupi de stœchade, reliqua in puluerem redacta misceantur cum melle quantum satis est & fiat electuarium. Hieræ Passij descriptio.

℞ supra dicti electuarij ʒ ij. ſ. castorei ʒ ſ. dissoluantur omnia in supra dicto melicrato quãtum satis sit, & fiat potus. Potus.

Partes affectæ & tota ceruix oleo aut vnguento inducenda sunt, quale hoc est. Topica.

℞ radicis althææ ℥ j. seminis fœnu græci conquassati ℥ ſ. fiat decoctio in olei conuenientis quartarijs tribus, aquæ saluiæ quartario j. & fiat fortis expresſio, inungatur locus & tota ceruix. Deinde cum lana intincta in hoc oleo, partes affectæ & ceruix mu- Inunctio.

niantur. Poſtea verò licebit vti oleo de cucumere aſinino, de ſcylla, & in iis liquefacere duodecimam partem ammoniaci, bdellij, opopanacis, galbani.

Poſthæc apophlegmatiſmis, caputpurgijs & alijs, quæ caput partim euacuant, partim co roborant, vtendum erit. Nodulo itaque folijs lauri pleno, & in decocto conuenienti madefa cto, palatum illinendum erit, quale hoc eſt.

Caputpurgia.

℞ nucis moſcatæ, pyrethri ana ʒ ij. ſinapi, piperis ana ʒ j. decoquantur omnia in mulſæ ℥ iiij. Ex eadem mulſa poſſunt fieri caputpur gia. Probatur autem & hoc caputpurgium.

℞ anagallidis, panis porcini, nucis Indicæ, nucis moſcatæ, pyrethri, cucumeris aſinini, pi peris, acori, ana ℥ ſ. conquaſſata omnia decoquantur in olei cheirini ℔. ij. aquæ maioranæ quartarijs tribus, vel in ſola aqua maioranæ. Vſus tempore, reſupinetur æger & ſtomacho vacuo, quinque vel ſex guttæ naribus inſtillentur, aut ſæpius nares interiores inungantur.

Oleum verò vnctioni occipitij, colli, regio nis ſub mẽto & affectæ partis, cõuenit. Teneat in ore acorum conditum, zinziber conditum, nucem moſcatam.

Frictiones quoq; auertendæ materiæ conueniunt,

ueniunt, vt etiam cucurbitulæ, quæ primæ & secundæ vertebræ ceruicis admouendæ sunt. Frictiones Cucurbitulæ.

INVETERATO & sic contumaci morbo, Razis probat cauteria post aures, & in ceruice. Cauteria.

Dropace quoque simpliciori vtendum erit ex picis ℥ iiij. olei liliorum ℥ j. liquefiant & extendantur in aluta. Castoreum quoq; teneatur sub lingua. Demum ad sinapismos & phœnigmos deueniendum est. Dropax.

VICTVS instituatur incidens, & attenuãs, qui tamen media materia temperetur. Cibus sit liquidus. Loco tepido, lucido, stragulis quoque mollibus decumbat. Quæ topica admouentur, conseruentur calida: nam refrigerata vehementer nocent. Madefactionibus capitis abstinendum est, quia caput replent. Victus ratio.

DE CONVVLSIONE
Caput IX.

CONuulsis eadem ferè ratio vitæ instituenda est, vt etiam in Spasmo canino: siquidem à plenitudine crudorum humorum contracta est. Victus ratio.

INITIO, ceruicem & vicinos musculos laxante, & emolliente oleo eoq́; tepido fouebis, lanaq́; in eodem immersa conteges, atq; vt calor conseruetur in parte, vesicam suillam plenã oleo tepẽte super pones, aut eiusmodi saccu Fomenta.

Sacculus. los. ℞ seminis lini leuiter conquassati: M. ſ. furfuris frixi, florum chamæmeli & anthos ana p. j. salis communis torrefacti & puluerizati ℥ ſ. fiat sacculus, aut plures huiusmodi sacculi, qui subinde recalfacti, calorem in parte contineát. Leues sint sacculi, vt ea omnia, quæ læsis partibus atq; dolentibus super ponuntur.

Clyster. Clysterium quoq; mollium vsus est. Veluti.

℞ Radices althææ ℥ ij. seminis lini & fœnugræci ana ℥ ſ. fiat decoctio in aqua ad ℔. ſ. cui adde olei cómunis ℔. ſ. misce fiat clyster, qui tepidus inijciatur. Articuli corporis linteis calentibus fouendi sunt.

Materiæ præparatio. Materia hyssopi decocto in mulsa & rebus huiusmodi incidenda est. Deinde purganda, vt prius, in spasmo canino, & soda phlegmatica, aut agarici, aut diaphœniconis, ʒ iij. in conuenienti mulsa dilutis. Molliter fricetur ceruix, spina, spatulę, cum inunctione conuenien-

Inunctio. te, qualia sunt.

℞ olei terebinthinæ, olei lumbricorum ana ℥ ij. axungiæ humanæ ℥ j. liquefiant simul. Oleum de costo cum quarta parte pinguedinis castoris, aut lutrę animalis, quem taxonem aut blerellum vocant, permisceri potest.

Vulpis præparatio pro enctione Plat. ℞ vulpem bene pinguem corio detracto, & exenteratam, confixam caryophyllis, infarctamq; hoc modo, & assatam.

℞ ra-

℞ radicis althææ & liliorum ana ℥ ſ. radicis acori, ireos ana ʒ ij. chamæpityos herbæ, coſti, maioranæ, calendulę ana p. ij. florum anthos, meliloti, chamæmeli ana p. j. ſtyracis, ladani pinguis, maſticis, caſtorei ana ʒ iij. omnia in mortario contundantur, & cum oleo de vermibus malaxentur, farciatur vulpes, & bene conſuatur, aſſetur cum aſperſione aquæ vitæ: quod deſtillat pingue excipiatur ſubiecto vaſe, in quod infuſum ſit acetum, deinde vulpes in aqua coquatur. Quod ſupernatabit pingue tum in aqua tum in aceto, vſui reſeruetur. Vtiliſsimum eſt poſt vnctionem pellibus hœdorum, agnorum, luporum, vulpium, arietum, recens detractis atque etiam dum calidis, partes inunctas contegere. Quod ſi pelles iam refrixerint, im mergendæ ſunt oleo calido, vt recaleſcant. Aliud. **Pelles animalium partibus imponendæ.**

℞ vini rubri ℔. ſ. olei liliorum ℔. ij. raſurę mollioris partis & magis ſpongioſæ de cornu cerui ℥ j. ſalis ℥ j. florum camæmillæ, ʒ vj. maſticis ſ. bulliant omnia in vaſe duplici ad vini conſumptionem. Hinc ad vnctiones calidiores tranſeundum eſt, de quibus ſupra.

Balneum quoque commendatur ad vmbilicum ex hydrælæo: cuius modus eſt ex æquis partibus aquæ & olei. Perſeuerante malo, olei balneum conuenit calidum, & domicilio ca- **Balneum.**

lido, quod ita præparabis. Quintam partem olei calefacies, & quatuor partibus non calefactis commiſcebis; alioquin ex decocti fœnugræci in aquæ partibus tribus & olei tertia parte balneum præparabis, quo totum corpus immergatur. Sed balnei modum eſſe oportet, ne vires reſoluantur. Itaq; ſolis irrigationibus vtendum erit, vbi vires non ſinunt.

A balneo quid.

A balneo tempeſtiua eſt vnctio ex ſupra dictis oleis, aut in quo ruta, coniza, roſmarinum, arthemiſia, ſeſeli, cum modico cinnamomi coxerint, quibus aliquando decima vel duodecima pars caſtorei adijcienda eſt. Veteres omnes & recentiores Medici, caſtoreum propinant è mulſa. Doſis caſtorei à ℈ ij. ad ʒ ij.

Caſtorei exhibitio.

Cucurbitulæ.

Cucurbitulæ partibus affectis, ſed cum ſcarificatione admouendæ ſunt, iam progreſſo morbo & bene purgato corpore. Aurelianus in acceſsione, leuibus: in remiſsione, cum ſcarificatione vtitur, occipitio & collo defixis.

Hipp. remedium reprobatur.

Remedium Hippocratis eſt aqua frigida in iuuene bene carnoſo, & æſtate media, Paulus, Celſus, Aurelianus, denique tota poſteritas reprobauit.

Febris an excitanda.

De excitanda febre non conuenit. Qui prouocant febrim, vtuntur authoritate Hippocratis aphoriſ. 57. lib. 4. & aphoriſ. 70. lib. 5. Herophilus quoque febriculam laudauit. Aſclepiades

piades ſimpliciter febrem. Auicenna & Arabes febrem, prouocari nolunt, niſi diariam. Cæterum ex Galeno ſic habeto. In morbis frigidis, quos humor craſſus, contumax & multus generauit, febris ſatis vehemens excitari poteſt: leuis enim nocet, nec prodeſt exemplo filij Numenij, qui cum apoplexia correptus eſſet, febris acceſsit mediocris, quæ cum noceret & per infirmitatem caloris, non prodeſſet, mors ſequuta eſt. Oportuit enim febrem fuiſſe magnam, quæ talem humorem calefaceret, incideret, concoqueret, & diſcuteret. Itaque vt eſt materia, ita febris conſilium temperandum eſt. 1. Proreth. Hipp.

DE INCVBO
Caput X.

INcubus quem ἐφιάλτην πνιγαλίονα vocant, neq; deus, neq; ſemideus, neq; cupido, quod veteres credidere, neq; δαίμων ſicut theologi exiſtimant, neq; inſultans vetula: ſed vapor quidam craſſus in cauſſa eſt, qui partim vias ſpiritus animalis intercipit, vnde & loquendi & reſpirandi difficultas: partim animæ offunditur, vnde phantaſia & ſpectrum quoddā, quale frequens eſt in ſomnijs. Sed ideo incurſare atque etiam opprimere thoracem, conſtringere collum, præcidere vocem apparet, quia his ma Incubus quid.

ximè partibus labor eſt. Pueros,& obæſa corpora, interim ſuffocat, alioquin epilepſiã denuntiat. Incubus enim epilepſia quædam eſt nocturna. Multos olim Romæ, quod ſcriptum reliquit Symmachus, vno anno confecit.

Curatio. Itaque qui incubo opprimitur, ſtatim excitandus eſt, poſtea videndum, vt ne huiuſmodi affectio redeat. Imperanda eſt ſobria vita, cœna frugalis, vitæ ratio è media materia, frequens ablutio extremorum, ſæpe etiã pectendum caput eſt ex ebore, in partem poſteriorem ducto pectine.

Melicrati præparatio. Melicratum plus minúſue dilutum pro ratione, in quo radices fœniculi, aſparagi, petroſelini, graminis, acetoſæ, cichorij, endiuiæ, cortex radicis capparis, hyſſopus, bugloſſum, borrago, endiuia, ſumitates lupuli, fumaria, ceterach, ſcolopendrium, capilli veneris, cuſcuta, paſſulæ mundatæ ab acinis, pruna, ſebeſten, flores anthos, violarum, borraginis, decoxerint, quale hoc erit.

Melicratũ. ℞ radicis fœniculi, radicis graminis ana ℥ ſ. ſumitatum lupuli, p. ij. hyſſopi, trium florum cordialium, paſſularum, liquiritiæ ana p. j. fiat decoctio ad ℔. j. ſ. in colatura diſſolue mellis albi, ſacchari albiſsimi ana ℥ ij. fiat melicratum. Deinde purgandum corpus eſt, hoc modo.

℞ Caſ.

℞ Casiæ vel catholici ℥ x. dissoluantur in sero lactis caprini, cum ℥ j. syrupi violacei, fiat potus. Pro ratione naturæ licebit vti fortioribus, quæ partim in capite, de Epilepsia, partim in capite, de Melancholia dicentur. Nec omittenda phlebotomia, si res exigit. Clysteres quoque & frictiones ex vsu sunt, quia fumos reuellunt. Errhina quoque & apophlegmatismi, sed ex leuiori materia. Purgatio. Venæ sectio. Reuulsiones.

Pulueres quoque, maximè à cibo, qui fumos prohibeant & morbo conueniant, qualis hic est. Pulvis post pastum.

℞ coriandrorum pręparatorum ʒ ij. specierũ diamargariti frigidi & diarrhodonis abbatis ana ʒ j. seminis pæoniæ nigri ℈ ij. coralli rubri ʒ ß. macis, cinnamomi ana ℈ j. cum modico sacchari rosati fiat mixtura, vtatur post pastum, cochleari dimidio. Bibere quoq; medio pastu, non in fine, hoc adiuuat.

Cucuphæ quoque parandæ sunt ex floribus anthos, stœchados, & alijs cebus capitalibus, vt prius. Cucuphæ.

Dropax quoq; simplex, tũ hypochondrijs, tum etiam capiti commodè aptari potest. Calidus applicatur & ne pertinacius inhæreat, linteolum rarius & vehementer attritũ interponendum est. Componatur dropax ex quinque partibus picis & vna olei de spica vel de mastiche. Dropax.

Thoraci quæ adhibenda.

Thoraci præterea propter impeditam respirationem quædam applicanda sunt, quę facilem motum pectori pareant, & si quæ plenitudo affuerit discutiát, quare hac inunctione, pectus & ventriculi regio vngi debent.

℞ olei anetheni & camæmelini ana ℥ ij. vini albi ℥ j. ſ. agitentur simul & fiat inunctio supra thoracem & ventriculum.

Cordis tutela.

Cordis quoq; habenda ratio est, quare saccu lus parari potest ex cordialibus, qui aqua melissæ & vino irroratus, tepidè cordi applicetur.

DE EPILEPSIA *Caput* XI.

Epilepsia quid & unde.

EPilepsia conuulsio est corporis, nascitur vbi humor crassus & frigidus obsarcit an teriores cerebri ventriculos, ex quo vitiosus motus & veluti raptus totius corporis, contorta facies, inuoluntaria seminis effusio, & interim affectio, quæ apoplexiæ proxima est. Pueros ferè vexat, quo tempore dentire incipiunt, vnde Puerilis morbus ab antiquis appellatus, vt etiam Lunaticus, quia interlunio nati, obnoxij huic morbo existimantur, vt & qui concepti sunt fluentibus mensibus. Perseuerat hic morbus ad annos pubertatis, soluique consueuit in masculis cum semen emittere incipiunt: in mulieribus, cum primum effluunt menses. Quos annos si superat

Puerilis morbus.

morbus

morbus,desperata res est. Nascitur aliquando consensu stomachi,aut aliarum partium corporis:aliquando spiritu quodam virulento,ex partibus inferioribus sublato in caput. Sæpe etiam primarius cerebri affectus est.

QVOS vexat paroxysmus sic habeto: Corpus quod rapitur, loco lucido & mediocriter calido collocato, sublimiori capite, ex quo membra supernè deorsum confricari debent. Dentes quos sæpe constringit,vnde etiam imminet suffocatio,vel manibus vel quauis alia ratione diducendi sunt, ex quo hac formula & lingua & palatum illinenda sunt. Curatio paroxysmi.

℞ theriacæ vel mithridatij ℈ iiij. dissoluantur in ℥ j. succi rutæ, cum penna vel linteolo extremitati bacculi alligato, palatum & lingua affricentur. Tum. Palato theriaca illinenda.

℞ belzoimi,mumiæ,picis nigræ ana ℈ j. vniantur cum succo rutæ,fiat suffumigiũ pro naribus,aut eadem simul liquefacta naso interiori inungantur. Vomitus si fieri potest excitetur, oleo ex penna illito interiori parti oris: alioquin perseuerante paroxysmo. Suffumigiũ

℞ castorei ℈ ij. belzoimi ℈ j. dissoluantur in oxymellitis scyllitici ℥ j.s.cum cochleari distractis dentibus ingeratur in gulam. Didymus extracto sanguine è pedis pollice,labra epileptici inungebat. Orpheus & Archelaus Sanguinis proprij illitio.

contaminabant faciem ex quacunque parte corporis ducto sanguine, atq; ita statim exurgere epilepticos testati sunt.

Curatio epilepsię extra paroxysmum.

POST paroxysmum clyster inijciendus est, qualis hic veterum.

Clyster.

℞ decoctionis aristolochiæ, centaurij minoris, vel calamenti. ℔. j. in qua dissolue pulueris hieræ picræ, pulueris hieræ diacolocynthidos ana ʒ iij olei chamomillæ ℥ iij. sacchari rubri, mellis communis ana. ℥ j. salis ʒ ij.

Humorum præparatio

Post clysterem refouendi sunt boni succi cibis. Ex quo Melicratum imperandum est, ex decocto hyssopi, stœchados, calaminthæ. Aut syrupus acetosus, oxymel simplex, oxymel scylliticum. Deinde purgãdum erit, cum hiera picra, & hiera diacolocynthidos. Hæc enim purgatio maximè probatur antiquis.

Purgatio.

Nec omittenda phlebotomia, si omnia consentiant. Iis verò quibus inueteratur epilepsia ad cautionem vena è malleolo diuides veris initio. Iam progresso vere, melicrato hissopi aut simili præparabis, & vt prius purgabis, aut vt veteres voluerunt. Amplissimam colocynthidem cauabis reiectis seminibus & interiore materia, tum vndequaque induces pasta Deinde cauatam colocynthidem passo aut alioquin vino dulci implebis, adiectis quatuor folijs rutæ & ℈ ſ. cinnamomi, efferuebit vinum

Colocynthidis præparatio.

num in calidis cineribus, deinde per noctem ſinetur in colocynthide, poſtridie per linteum bene mundum percolabitur & bibetur, Poſt purgationem reficiendum corpus eſt. Poſt tres inde dies, cucurbitulæ hypochondrijs affigendæ ſunt, deinde ſcapulis cum ſcarificatione. Aliquot diebus interiectis, iterum purgandi ſunt, ex eoque cucurbitulæ occipitio adhibendæ. Caput radendum eſt, aut certè detondendum. Comparanda cucupha, & per interualla purgandum eſt, vt etiam autumno, ad elleborum veniendum ſit. Hoc autem modo veteres elleborum propinabant.

Cucurbitulæ.

℞ fibrarum radicum ellebori ℈ ij. diſtemperentur in ℥ j. melicrati, deinde ſiccentur in vmbra & pulueriżentur, tum adiecto pari pondere piperis, modico melli miſceantur, vel è mulſa propinentur. Galenus plurimum commendat hieram diacolocynthidos quæ elleborum recipit. Tentatis itaq; leuioribus remedijs, non eſt metuendus vſus ellebori.

Ellebori præparatio.

Poſt hæc ſternutatorijs, quæ puluerem radicis pæoniæ recipiant & maſticatorijs vtendum erit.

Sternutatoria.

Sanguiſugæ etiam fronti & per ambitum capiti affigendæ ſunt. Fuerunt in veteri medicina qui eunuchiſmū, id eſt caſtrationem maximè probauerint, Formula ſternutatorij.

Sāguiſugæ.

Eunuchiſmus.

Sternutatorium. ℞ pyrethri, pulueris radicis pæoniæ ana ℈ ij. nucis moſcatæ ℈ j. ellebori nigri puluerizati ℈ ſ. fiat puluis, inſuffletur in nares. Eadem quoq; præter elleborum maſtice incorporata, maſticatorium efficiunt.

Conſeruæ. Vſus conſeruarum acori, aut ſtœchados, theriacæ, mithridatij, maximè conuenit: idq; iam purgato corpore. Electuarium quoq; Raſis, cuius hæc eſt deſcriptio laudatur.

Electuariũ Raſis.

℞ pyrethri, ſeſelios, ſtœchados ana ʒ x. agarici ʒ v. cardamomi recentis & acuti acriorisque, aſſæ optimæ, ariſtolochiæ rotundæ, ana ʒ j. ſ. excipiantur omnia melle ſcyllitico, detur auellanæ magnitudo ieiunis.

Scillæ præparatio ex Galeno. Galenus in libro de conſilio in comitialibus, conquaſſatam ſcyllam vaſe meliteo, hoc eſt in quo antea mel repoſitũ fuerit, aut alioqui coctum recondit: vas pelle inducit, & fideliter occludit, tum meridiano ſoli obuertit, prohibetq; aquilonibus, ſubinde aliter atque aliter obuertit, vt omni ex parte radij ſolis vas calefaciát. Scyllam colligit ſub cane: quo tempore mel ſcylliticum præparat, finitq; quadraginta diebus. Poſtremo aperto vaſe liquor qui è ſcylla deſudauit, excipitur & melle addito dulcoratur. Doſis paruulis ʒ ſ. alijs ʒ ij. Materia reliqua ſcyllæ cum melle ſubigitur, atq; eodem modo, ſed non tam vtiliter, epilepticis im-

imperatur. Alij ſuccum ſcyllæ pari mellis pondere commiſcent, vt fiat mel ſcylliticum.

PVEROS vero clementius habere oportet. In primis vitæ ratio inſtituenda eſt nutrici, quæ generet lac vtile, ſed paulo calidius & ſiccius quàm temperatum ſit. Pueri corpus molliter fricandum eſt & inungendum, tum etiam caput detonſum ex oleo anethino, rutaceo, de maiorana, irino, adiecto pulueris momento cyperi aut ireos. Pueri quo modo curandi.

Cucupha quoq; comparanda eſt. ℞ cyperi, ireos florentiæ ana ℈ ij.ſ. ſeſelios & pæoniæ ana ℈ j. capillorum veneris, florũ anthos, & camæmeli ana ℈ j. macis, cinnamomi ana gr. viij. f. pul. pro cucupha. Sedes pueri inungatur melle & ſucco rutæ, vel ſalis granum immitatur podici. Paretur electuarium ex butyro & ſaccharo, quo etiam nutrix papillas mammarum illinat. Comparetur mel paſſulatum hoc modo. Cucupha. Mel paſſulatum.

℞ agarici troc. ℥ ſ. infundatur in aquæ ℔. ſ. agaricum detrahatur, in eadem infuſione detracto agarico, paſſulæ bene pingues diſtemperentur dum turgeant. Turgidæ in noua aqua coquantur, ad extremum coctæ exprimantur in aqua, in qua coxerint. Expreſsio cum aqua rurſus coquatur ad mellis craſsitudinem. Paulo adultiores, vt qui ſecundum aut

tertium annum ſuperant, paſſulis, prunis, ficubus, eo modo maceratis vti poſſunt, ijſdemque electuarijs & paſſulato melli, puluis pæoniæ & hyſſopi, adijci poteſt. Purgantur etiam ex ℥ iij. caſsiæ, ex manna & penidijs præparatis vt ante dictum eſt. Radix pæoniæ conciſa in taleolas & ita transfixa filo ſuſpendatur è collo. Syrupus acetoſus, melicratum, abſynthij decoctum & cicerum rubrorum, vomitus ijſdem conueniunt.

Epilepſia per conſenſum ſtomachi.

PER CONSENSVM A STOMACHO. Sãguis è poplite trahatur vel malleolo, eodem loco ſcarificatio fiat. Sæpe repetita purgatio ex his pilulis prodeſt.

Purgatio.

℞ pul. hieræ picræ ℈ ij. agarici trochiſcati, rhabarbari electi ana ℈ j. maſticis, ſantali citrini, macis, roſarum ana gr. vj. cum ſucco citri, fiant pilulæ, aut idem puluis incorporetur in ℥ ſ. catholici, vt fiat bolus, aut omnia diſſoluantur in ſero caprino vel decocto cicerum rubeorum.

Vnctio.

Inungatur ſtomachus cum olei maſticini ℥ j. coralli rubri, & pul. rad. pæoniæ ana ℈ ij. Corallium, radix pæoniæ, iaſpis viridis è collo ſuſpendantur, vt contingãt ſtomachum.

Cæterum materiæ morbi habenda ratio eſt. Quibuſdam enim gracilibus & iracundis in ieiunio influit in ſtomachum admodum

ſenſibi-

ſenſibilem ſanies biliosa: quibus panis per ſe, ſi non ſitiunt: alioqui ex vino albo, tenui, diluto, auſteriuſculo, aut vino granatorum remedio eſt. Aliquando crapula in cauſa eſt, nonnunquam humor craſſus & frigidus. His ſupradicti ſyrupi incidentes conueniunt. Eadem quoque purgatio & vomitus.

QVOD ſi ex ſpiritu venenoſo, qui ex parte aliqua in caput attollitur, præliganda pars eſt, cucurbitula affigenda loco. Locus theriaca, mithridatio, contrita anagallide ruffa inducendus eſt, vicinia in veſicas attollenda ex ſinapi, pipere, euphorbio incorporatis theriaca vel melle anacardino. Quod ſi locus præligari non poteſt, vt matrix, renes, cucurbitulis vtendum erit cum ſcarificatione. Poſtea purgandum eſt, ſi fuerit opus, & emplaſtra, vt prius, ad regionem partis apponenda. Epilepſia à uenenoſo uapore.

DE MELANCHOLIA. Caput XII.

MElancholia nonnunquam vitio cerebri & capitis, quod cũ calidius fit, ſanguinem adurit, atque eo aduſto fumi melancholici animam exagitant. Eiuſmodi, ferè facie ſunt admodum rubente, rubore quidem ſaturato & tandem liueſcente. Quibus etiam aliquando adnaſcuntur puſtulæ. Deinde etiam Cauſæ.

qui flauo sunt colore, quibus caput calidius bilem adurit: ἐξερύθρους τὴν χρόαν καὶ ξανθούς, quisquis author fuit libelli de Melácholia appellauit. Alij vero vitio lienis aut hepatis melancholicum sanguinem, toto corpore colligunt. Tertium genus est melancholiæ, quæ Hypochondriaca nominatur. Horum signa & phantasmata ex libello de meláchoilia Aetius tráſtulit. Quędam etiá Aurelianus adnotauit in chronicis.

Signa.

Curatio.

Itaq; initio mali repellétibus vtendum est. oxyrhodino, aut mixta materia media, vt chamæmelino.

Phlebotomia.

Phlebotamiam omnes ferè imperant, atq; in primo genere cephalicam, in secundo ac tertio, mediam referant. Hippocrates in libro de Virginibus scripsit, virgines fieri melancholicas, resistentę menstrua purgatione: idq́; multo magis, si vruntur amoribus. Idem quoq; viduis accidere consueuit, dum curis & mœrore animam conficiunt. In ijs enim ex vehemēti animi motu cerebrum laborat, atq; ideo infirmatur, refluit ab vtero ad cor vitiosus sanguis, atq; ita animam corrumpit. Iis vena malleoli aperienda, aut idem locus per interualla repetita scarificatione, lacerandus est. Probatur etiam vena, quæ inter annularem & minimum, vel medium & annularem digitum excurrit. Perseuerante malo, vena in fronte diuiditur.

ditur. Oportet autem latum vulnus inferre venæ: & siquidē sanguis crassus est, semel ac plurimum detrahere.

ALIMENTA è media materia instituenda sunt, panis triticeus bene coctus, vinum album tenue, odoriferum. Omnino cruditas vitanda est, & potus sine cibo, vel in fine pastus. Victus ratio.

Clysteribus per interualla vtendum est, primum quidem leuioribus, qualis hic est. Clysteres.

℞ furfurum, hordei ana M j. summitatum anethi, chamomillæ, meliloti ana M ſ. seminis rutæ & fœniculi ana ʒ ij. fiat decoctio ad ℔. j. in colatura dissolue mellis anthosati, sacchari rubri ana ℥ ſ. olei ℥ iij. Postea vero decoctioni adijciemus polypodij ℥ j. atque aliquando dissoluemus cassiæ aut catholici ʒ vj. aut hieræ picræ ℥ ſ. vel diaphœnici aut diaprunis tantundem.

Ex quo materia purganda est, sed præparanda prius leuioribus quidem remedijs, quæ in epilepsia diximus, & cap. de incubo, cum his etiam. Digestio.

℞ succi borraginis, succi buglossæ depuratorum ana ℔. ij. succi pomorum odoriferū, ℔. iij. folliculorum senæ ℥ iiij. se. anisi & fœniculi ana ʒ ij. sena distemperetur diem integrum in succis, deinde leuiter bulliat, & cum sacchari ℔. j. fiat syrupus clarificatus & aro- Syrupus.

matiſatus cum modico macis. Doſis ℥ ij. cum aqua bugloſſæ, borraginis, lupulorum, fumariæ, cuſcutæ, aut ſero lactis.

Purgatio.

Melancholia leuiter & per breuia interualla purgari debet. Itaque folia ſenæ ℥ ſ. ʒ vj. ℥ j. è iuſculo galli decrepiti, gallinæ, pulli, aut alterius carnis vel piſcium decoquimus, dein de ſorbetur iuſculum: alioqui foliorum ſenæ ℥ ſ. ſeminis aniſi, cinnamomi ana ʒ ſ. florum anthos & borraginis, florum violarum ana p. j. fiat infuſio vel decoctio in ſero caprino. Aliquando ℥ ſ. caſsiæ aut catholici adijcimus. Galenus & reliqui medici Græci, probant purgationem ex pul. hieræ picræ ʒ j. pulueris epithymi ʒ ij. Sed hæc purgatio æſtate non conuenit, potiuſq; vtendum erit caſsia aut catholico diſſoluto in ſero lactis. Serum in quo medicamenta diſſoluuntur, hoc modo melius fit.

Seri lactis præparatio

℞ ſummatum abſynthij & fumariæ ana p. j. trium florum cordalium ana pugil. ſem. fiat decoctio aut infuſio ſupra calidos cineres, in colatura expreſſa diſſolue medicamenta. Vbi vigiliæ vrgent, poteris hoc imperare.

℞ trypheræ perſicæ ℥ ſ. ſpecierum hieræ picræ Galen. ʒ vj. epithymi, pul. foliorum ſenæ ℈ iiij. cum modico ſaccharo violato, fiat miſtura, doſis ad ℥ ſ. diſſolutam in ſero lactis caprini.

Pulue-

Pulueres quoque subinde imperandi sunt & condita.

℞ pul. electuarij lætificantis ʒ iij. sacchari rosarũ & violarũ ana ℥ ſ. dẽtur ʒ iiij. in cochleari cum modico vino albo odorifero. Aut. Conditum.

℞ Electuarij lætificantis & diamargaritonis ana ʒ ij. ſem. citri, melonum, cucumeris, citrullorum ana ℈ j. macis, ſpicæ ana ℈ ſ. sacchari rosati quantum satis, fiat mixtura, aut si vis, incorporentur in conseruæ, borraginis, buglossæ, roſ. ana ℥ ſ. fiat conditum. Mixtura.

Balnea temperata per interualla conuenient. Cucurbitulæ leues in hypochondrijs, quę discutiant flatus, atque vbi dolor est, cum scarificatione. Balnea. Cucurbitulæ.

VBI verò pertinax morbus est, secandæ venæ capitis & sanguisugæ affigendæ. Aperiendæ infernæ purgationes, vis pharmacorũ augenda est, imperandaque hiera diacolocynthidos, quæ epithymum aut senæ puluerem, deinde etiam quæ elleborum recipiat. Curatio morbi contumacioris

Elleborismis quoque vtendum est. Nec enim frustra dictum est ab antiquis, indigere elleboro, qui mente non ita constarent. Itaq; sic imperabis. Ellebori usus.

℞ pul. hieræ diacolocynthidos ℈ iiij. pulueris epithymi & foliorum senæ ana ʒ ij. excipiantur modico melle, deinde in sero caprino

dissoluantur, fiat potus. Postea vero hieram diacolocynthidos hoc melle incorporabis.

Mel helleboratum.

℞ ramentorum hellebori ℥ j. fiat infusio per dies tres in aquæ pluuialis ℥ iiij. deinde lento igne decoque ad tertias, colaturæ addatur mellis optimi despumati ℥ ij. huius mellis cochleari puluerē hieræ diacolacynthidos miscebimus, reliquū mel seruabimus, & per interualla cochleare dabimus dissolutū in pingui iusculo exhibebimus, vt incitetur vomitus.

Ellebori alia præparatio.

Alius modus parandi ellebori. Raphanus acerrimus in taleolas diuiditur, ramentorum ellebori ʒ iij. taleolæ configuntur, transfixas sub dio per noctem collocabis. Postridie ramenta detrahes, & ita diligenter vt nihil remaneat elleb. Ex quo in oxymelite taleolas tribus horis macerabis, maceratas comedes & oxymel superbibes. Post horas aliquot vomitum ciebis.

Fotus.

Quod si venter flatuosus est, fouebis oleo in quo rutæ, anethi, dauci, cumini & similium semina coxerint, eademque semina in puluerem redacta adiecto piperis & cinnamomi momento, melle anthosato excipies & ita exhibebis.

Dropax.

Dropax calidus proximè descriptus breuibus interuallis ventriculo adhibetur & toti metaphreno.

DE

DE CATARRHO.

Caput XIII.

Catarrhus nomẽ generale, defluxus aut destillatio, nam καταῤῥέω verbũ id sonat: peculiariter defluxus est à capite in fauces. Catarrhus itaq; alius pituitosus, tumque distentio est, faciei pallor, frigiditas capitis, ad somnum inclinatio, piger motus, hebes anima & sensus, vox per nares obmurmurat intercepta via. Adde temperamentũ, locum, animi constitutionem, rationem vitæ, vrinæ quoq; crudiores sunt. Catarrhi pituitosi signa.

Aliud calidus est, ferè à pituita salsa, aut alioqui acri humore. Hic totius capitis dolor est, rubent oculi, interiores partes oris exulcerantur, adde & cætera externa & vrinas magis coloratas. Catarrhi calidi signa.

Catarrhus aliquando per venas & arterias diffluit in corpus. Hic ferè ceruicis, scapularũ, membrorum & lumborum dolor est. Catarrhi per uenas fluentis signa.

Catarrhus vbi leuis est & frigidus, fotu capitis ex linteis calentibus, vt calor in profundum subeat, leui gargarismo, caput purgijs curari potest. Curatio frigidæ.

℞ rof. M.j.f.d. in aqua cũ modico aceto, vnde leuiter abluat os, vel vtatur modico conseruæ rof. vel syrupo rof. de rof. siccis. Caput pur. Gargarismus. Caputpurgium.

℞ seminis nigellę romanę ʒ ij. ſ. anisi ʒ j.

conquassata frigantur in sartagine cum leui aspersione aquæ maioranæ ℥ s. nodulus, applicetur naribus. Quod si venter resistit. ℥ s. cassiæ quarta parte horæ ante cibum imperabis.

Curatio calidi.

Vbi verò calidus est sed leuis, balneũ aquæ dulcis satis esse potest: aut inunctio capitis & frontis è rosaceo, è caseo molli & recenti, è cauliculis lactucarum subactis ex oxycrato, sacculus è rosis. Quod si purgatio imperanda est, quia resistit aluus, cassiam, mãnam, imperato.

Catarrhi suffocatiui curatio.

Vbi verò vehementior catarrhus est maiora remedia ex vsu sunt. Quod si ex vehementia catarrhi, quod sæpe fit, præsens suffocatio imminet, clysteribus acriusculis statim vtendum est, in quibus hieræ picræ ℥ s. dissoluta sit. Quod si corpus sanguineum & bene carnosum est, vena in brachio, angusto foramine aperienda est. Cucurbitulæ scapulis & brachijs affigendæ, totus thorax ex oleo de lilijs, de lino, amygdalis, nucibus, chamæmelino, butyro recenti, cocta radice althææ, & cũ axungia gallinæ aut simili, vel butyro malaxata inungendus est. Gargarismata quæ reprimant fluxionem, cuputpurgia, frictiones & vincula, quæ eandem diuertant, imperanda sunt.

Ratio victus.

Vbi verò nullum tale accidens interturbat curationem catarrhi, frugalis vita imperanda est, cœna nulla aut pauca, declinatio à ventis, solis

ſolis & lunæ radijs, abſtinentia à vino, & rebus vaporoſis, à ſomno diurno, qui etiam noctu breuior eſſe debet. Vtantur hordeato, auenato, vbi reſiccandum. Conuenit etiam oryzogala, amygdalæ cum ſaccharo roſato, vbi retinenda defluxio, incraſſanda & coquenda. Aqua frigida ore colluta, in calidis: ſubtepida, in frigidis conuenit. Secunda menſa carne cydoniorum, pyris auſteriuſculis & coctis, poſt etiam coriandro vti oportet, vt confirmetur venter & fumi prohibeantur. In frigido, vino quidem vti licet, verum modico. In paſtu medio, non frigido, ſed refracto aqua ſubtepida, aut pane toſto. Clyſterum vſus ſed mollium probandus eſt.

Phlebotomia à Græcis ferè omiſſa & Arabib. niſi vbi ea adſunt quæ Meſue annotauit. Venæ ſectio.

Purgationes initio leuiores, qualis eſt caſſia ad ℥ j. aut ʒ x. imperata, ac per interualla vſurpata; cui aliquando in fluxione calida addere licet, electuarij de ſucco roſarum ℈ ij. Iam progreſſo morbo, & vbi ſigna coctionis apparent, poterit catholicon imperari ad ʒ vj. adiecta infuſione ℈ ij. agarici & ʒ. ſ. rhabarbari. Nonnunquam etiam in his catarrhis imperamus rhabarbari infuſi ℈ iiij. pulueriſati vero ℈ ij. qui diſſoluantur in hoc decocto. Purgatio.

℞ paſſularum, hordei ana p. j. trium flo-

rum cordialium, liquiritiæ rasæ ana ʒ. ij. f. d. pro vna dosi, in qua dissolutum sit rhabarbarum, &c. Post hæc etiam iam bene maturato morbo, fortioribus licet vti.

Cura particularis.

Peculiaria verò remedia alia continentur ore, alia deuorantur, nonnulla naribus applicantur, eaque aut retinent, aut leniunt, & concoquunt, aut repurgant.

Catarrhum sistunt.

Retinent. ℞ ros. hordei, agrimoniæ ana p. j. s. plantaginis, papaueris albi, portulacæ ana ʒ j. f. d. ad ℥ iiij. in colatura dissolue diamori ℥ j. vini granatorum ℥. s. Aliud

Gargarismata.

℞ aquæ hordei non excorticati ℥ iij. dianuci ℥ j.

℞ iulepi rosacei ℥ iij. syrupi myrtillorum ℥ j. Aliud.

℞ aquæ rosatæ ℥ iij. cáphoræ ℈. s. Aliud.

℞ corticum papaueris, ros. siccarum ana, p. ij. boli armeni ʒ ij. f. d. Hæc ore continemus, & inde os leuiter colluimus, alioqui fiũt pilulæ quæ in ore continentur.

Pilulæ.

℞ boli armeni loti cum aqua ros. terræ sigillatę lotæ cum decoctione papaueris ana ʒ j. electuarij diatragacanthi frigidi cum oui albumine dissoluti ℥. s. cum modico syrupi ros. de siccis f. pilulæ ad magnitudinẽ lupini. Aliud.

Trochisci.

℞ anisorum, coriandri præparati ana ʒ s. macis, cinnamomi, spicæ, ireos, coralli rubri

ana

ana ℈ j. se. papaueris albi, opij in vino cocto macerata ana ℈ j. gummi tragacanthi, masticis ana ʒ j. omnia incorporentur in succi liquiritiæ ℥ j. cum leui affusione syrupi myrtillorum, f. trochisci pondere ʒ ss. Possemus vti solo tragacantho, terra sigillata: & in frigido catarrho, spica.

VBI leniendum est liquiritiæ succus maximè conuenit aut d. pectoralis Rasis. Ad leniendum.

℞ iuiubarum nu. xx. sebesten nu. xx. passularum enucleatarum ℥ j. violarum sicarum ℥ ss. liquiritiæ rasæ ʒ vj. carica. nu. x. f. d. in ℔ ij. aquę, dum redeat ad vnam, adde si vis semẽ bombacis, capillos veneris, & alia quæ incidunt & repurgant. Post initia vtendum est electuario diaireos, immiscendumque est electuarium diatragacanthi. quale hoc erit. Decoctio pectoralis.

℞ electuarij diatragacanthi frigidi ℥ j. diaireos simpl. ℥ ss. f. pul. teneatur in ore. Verum vt minuitur catarrhus, & maturatur, plus diaireos miscendum erit.

RETINENTIBVS vtendum est cum fluxio vehementior & periculosior, aut etiam vbi leuis est. Sed hic ferè sine purgatione corporis, illic post purgationem. Vtuntur suffumigijs quale hoc est. Ad sistendum. Suffumigia.

℞ olibani, sandaracæ ana ʒ ij. f. d. in vino astringente, excipiatur fumus. In frigida.

Calida. ℞ ligni aloes, costi ana ℈ ij. galliæ mosc. ʒ ſ. olibani, ſandaracę ana ℈.j. cum ſtyrace liquida f. pilulæ & ſuper prunas ſuffumigiũ excitetur. In calida, ſuffumigia fiunt hoc modo.

Frigida. ℞ ſantali citrini ʒ ſ. roſ. viol. ana p. ij. f. d. in aqua, & deinde ſuffumigium. Vtendũ quoque pomis odo. eſt, vt prius, cucuphis & alijs rebus roborantibus cerebrũ, ligatione in duobus digitis manus dextrę, ſtuphis ſiccis, poſtremo etiam cauterio, hoc modo. Radatur caput in ſincipite medio, qua parte ſutura coronalis eſt, fricetur locus calente linteo, ſinapiſmus aut phœnigmus applicetur, veſicæ excitentur & diu continenatur, vt fluant. Caules itaque ad ignem calefactos axungia porcina inunges & ſuperpones loco, quibus ſi nihil proficitur, cauterio vtendum eſt.

Cauterium

DE OPHTHALMIA.
Caput XIIII.

Ophthalmia quid. OPhthalmia inflãmatio eſt eius tunicæ, quæ adnaſcitur corneæ ἐπιπεφυκότα vocant, hæc producitur à pericranio, à quo vaſa diducuntur in oculum per frontem mediam & tempora. Itaq; ferè ſuperficialis inflãmatio eſt cũ rubore, dolore, tenſione, quæ vt augentur, ita affectus magnus eſt: exiguus, vt minuuntur. In exiguis inflammationibus, maioribus

ribus remedijs opus non eſt, ſed roſ. ſucco, oui liquore tenui, aqua roſ. aut plantaginis, la ɕte mulieris vel aſinæ curari poteſt. Oportet hos ſuccos inſtillare oculis, eoſdemq; cõtegere panniculo lineo ijſdẽ liquoribus inſuccato. Poſtea verò iam declinante malo, ſantalos citrinos, modicum macis aut ſpicę, in qua aqua roſ. feruefacta, adhibebimus. VBI verò grauius malũ eſt phlebotomia, arteriotomia, cucurbitulæ, ſanguiſugæ, ſcarificatio, purgatio, cauterium, paracenteſis, fortiora collyria & localia remedia inſtituenda ſunt. Vbi cætera conſentiunt dolor quoq; vrget vehementius, ac rubur & tenſio maior eſt, ſubducta ſponte ſua vel molliori clyſterę aluo, cephalicam aperito eiuſdem lateris amplo vulnere, & quantum tolerant vires ſanguinem eijcito. Curatio leuioris. Curatio maioris. Venæ ſectio.

Tum ſi fuerit opus, paululum recreatis viribus leui pharmaco purgato. Hippocrates de locis in homine metuit, ne fortiori pharmaco humores corporis agitati, confluant in oculos. Quod conſilium multis è recentioribus medicis probatum eſt. Itaque ſi bilioſus ſanguis eſt, quem ferè dolor acerbior ſequitur, rhabarbaro, caſsia, manna, catholico, electuario de ſucco roſ. hiera picra ventrem ſubduces. Diſſoluantur hæc æſtate in ſero lectis, decocto violarum & hordei: reliquis tempo- Purgatio.

ribus in decoctione pectorali. Fortiores sunt pilulæ aureæ, pilulæ lucis, hiera diacolocynthidos. Si pituita, ex hiera picra, pilulis alephanginis, agarico mixtis, formentur pilulæ. Diaphœnicom similiter ex vsu est, pilulæ fœtidæ & cochiæ. In melancholicis hiera rufi, hiera diacolocynthidos addito epithymo aut folijs senę. Per interualla clysteres & suppositoria loco purgationum esse possunt, alioqui reuocandæ sunt purgationes.

Cucurbitulæ. IAM bene purgato corpore, cucurbitulæ scapulis & initio ceruicis infigendæ sunt, vbi & scarificatio conuenit. Siquidem locus admota cucurbitula vehementer intumescit, atque vbi grauitas est capitis.

Venæ sectio. PERSEVERANTE malo vena frontis, vel quæ in sincipite apparet, quæ post aures, quæ in temporibus, in quibus ea eligenda est, quæ tumet, rubet, pulsat magis cæteris. Reliquias inflammationis, vacuat ea vena quæ ad maiorem angulum est. Loco phlebotomiæ nonnunquam hirudines inducuntur. Cartilago quoq; auriculæ scarificatur. Quæ vena ad pollicem vergit, mediæ ramus est, quæ initio secta plurimum diuertit, & viribus minus detrahit, quàm secta cæphalica. Arteriotomia locum habet vbi calidus & spumosus sanguis est, cuius ratioñe describit Gal. ad fiñe 14 methodi

Arteriotomia.

thodi

thodi medendi, & Mesue cap. de Ophthalmia. Cauteria tum ad coronalem suturam vt prius, post aures, in occipitio è regione oculi laborantis, in ceruicis initio, imprimi possunt. Cauteria.

Paracentesis fit hoc modo. Præhendes digitis cutem cum carne, quæ initio ceruicis est ad cauum occipitij, tum acum traductã, filo serico satis crasso transfiges, & ita locũ peruium ad triginta aut xl. dies permittes, per interualla sublato, ac deinde reposito filo. TOPICIS verò hoc modo vtendum est. Initio quidẽ reprimendũ, augmento aliquid coquentiũ & reprimentiũ vtendũ est. Vt verò procedit morbus hæc augenda sunt & minuenda, quæ reprimunt, postremo roborãda pars est. Fouentur itaq; oculi ex decocto viol. rof. sem. psyllij, papaueris albi, corticis radicis mandragoræ, folijs populi, salicis, rubi, myrti & similium, distincta ratione ex natura humoris, qui fluit. In augmento decocto maluarum, althææ, cydoniorum, adiecta modica quantitate eorũ quæ reprimunt. Procedente morbo flores camomillæ, anethi, meliloti miscendi sunt. Postremo etiã fœnugræci decoct. Vbi reprimendum aqua communi, aqua rof. aut plantaginis decoctio fit. In augmento lacte, postea etiam vino diluto. Itaque vbi topicis vtendum est, fouendus locus decoctione frigida aut tepida si

Paracentesis.

Topica.

Fotus.

lemæ adſunt, & pertinacius inhæret pituita. Tum medicamentum oculis inſtillandum, poſtea goſsipium madefactum liquore conuenienti, linteolo lineo inuoluitur, linteolum ſimiliter inſuccatur, & ita oculo inſternitur, tum ita alligatur faſcia, vt nec oculus grauetur, aut doleat. Oportet enim quæ adhibentur oculis leuia eſſe, mollia, præterea ſine morſu, ſine emplaſtica & viſcida natura, quæ pertinacius inhæreat & celerius indureſcat. Quater in die remedia innouentur, aut etiam ſępius, ſi vrget dolor. Quod ſi per exteriores partes (quod ſæpe fit) fluxio eſt, frons & tempora reprimente emplaſtro inducenda ſunt. Conueniunt itaq; initio aqua roſ. oui liquor tenuis, lac muliebræ aut aſinæ, ſuccus roſ. conſerua roſ. cum oui albumine, muſcilago ſemin. pſyllij & ſimilia, vel hæc compoſita.

Deffenſiua.

℞ ſucci mororum agreſtium reſiccati. ℥ iiij. quas cum oui albumine commiſcebis, & rurſus ſiccabis, vſus tempore ʒ ij. pulueris in lacte muliebri & aqua roſ. diſſolues, vteris autem vt ſupra dictum eſt. Oui albumen agitatum & deſpumatum cum decocto papaueris albi, aut aqua roſ. vtile eſt. Aliud.

℞ mucilaginis, ſe. pſyllij, ſe. cydoniorum extractæ in qua papaueris ana ℥ j. liquoris tenuis oui ʒ vj. camphorę gra. viij. croci gr. iij. Vbi dolor

dolor vrget vehementius vtendum est opio, sed ab eius vsu oculos decoct. meliloti tepido aut simili fouendus. Collyrium album.

Collyrium album.

℞ gummi Arabici, tragacanthi, amyli ana ℥ j. cerussæ lotæ ʒ j. ſ. opij gr. vij. cum oui albumine fiat collyrium, vsus tempore ʒ ij. in lacte muliebri dissoluátur. CREscente morbo.

In augmento.

℞ cerussæ plumbi lotæ cum aqua rosſ. & siccatæ ʒ ij camphoræ ℈ ſ. cum oui albumine fiat collyrium: vsus tempore dissoluatur in lacte. Toto reliquo tempore morbi licebit vti sief albo cum opio, si vehemens dolor est: imminuta dosi opij, si non tam vehemens: omnino sublato opio, si leuis est: sed addere oportet in augmento sarcocollæ nutritiæ in lacte mulieris ʒ j. & vt procedit morbus in declinationem augenda sarcocollæ dosis est, & tandem sola sarcocolla nutrita in lacte & vino, vel aqua fœniculi, dissoluta vtendum est. Mucilago psyllij initio: cydoniorum in augmento: lini aut althææ in statu: fœnugræci in declinatione conuenit, sed ab vna ad alteram, paulatim transeundum est. IN declinatione.

Mucilagines.

℞ sarcocollæ nutritæ ℥ iij ſ. croci, spicæ aloes an. gr. vj. Aloe lauetur in aqua fœniculi huius pulueris ʒ ij. in aqua fœniculi dissoluantur aut aqua rosſ. si quid ruboris & caloris superest. Aliud. Ouum crudum coctũ & ita in-

In declinatione.

duratam calidum per se, vel è lacte muliebri subactum applicabis. Puluis citrinus, quo vtendum est in augmento & statu,

Puluis citrinus.

℞ sarcocollæ ʒ v. aloes lotæ in aqua rof. ʒ j. tragacanthi ʒ ſ. opij ℈ ſ. & gra. vj. Quo tempore ouum crudum integrum sine testa per se vel cum lacte muliebri exceptum toto apponi potest. Roborando oculo vinum astringens dilutum aqua fœniculi, in qua spica aut stœchas coxerit competit. Frontalia.

Frontalia.

℞ Mannæ thuris, masticis ana ʒ ij. agitentur ex oui albumine. Aliud.

℞ farinæ fabaceæ M. j. cum oui albumine f. emplastrum. Aliud.

℞ myrrhæ, thuris ana ʒ ij. farinæ volatilis M. ſ. cum oui albumine f. frontale. Aliud,

℞ boli armeni ℥ j. aquæ rof. ℥ iij. aceti ℥ j. cum duobus albuminibus ouorum f. frontale. Balneum in declinatione imperari potest. Errhina quoq;, gargarismi & masticatoria. Neque omittendæ sunt frictiones initio ductæ superne deorsum, ad diuertendum.

Balneum.

Frictiones.

DE DEBILITATE VISVS
Caput XV.

Myopes qui dicantur.

Μύωπας Greci vocãt, qui à primo ortu nõ nisi admota oculis cernũt, idq; exertis propè oculis, palpebris constrictis atq; conniuentibus

pentibus, id quod efficit tunicarum oculi raritas, tenuitas humoris, subtilitas spiritus visorij, qui priusquam angulum faciat, dissoluitur atq; euanescit. Sunt qui eo nomine etiam vespertinam acié appellant, cum interdiu obscurè, noctu & sine lucerna acutius videant. Rara affectio hominibus, ab eadem causa, nisi quod illis infirmitas maior est, hic luce quidem diffluit spiritus, nocte cogitur atque temperatur. Contra verò νυκτάλωπες interdiu vidēt, caligant ad lucernam, quanquā & hoc nomen nocturnæ cęcitatis ad myopas etiam transferant, vt Octauius. Α᾽μαύρωσιν & ἀμβλυωπίαν hebetudinem atq; obscuritatē visus ita distinguūt: quod illius multæ causæ notæ sunt; huius nulla causa manifesta est, Quia enim pupilla dura sit, neq; vitiū vllū appareat in oculis, videndi tamen libertas intercepta est. Cuius tamen coniectura quadam curationem molimur, medicamentis quæ ὀξυδερκῆ & ὀξυδερκικὰ appellant; quia videlicet cū nullum accidens manifestū insit oculis, acuunt tamen visum atq; instaurant; causa verò vtriusque mali, vel in humoribus oculi, vel in natura visorij spiritus, vel in tunicarum habitu, vel quia interceptus est aut resolutus neruus opticus. Summatim in ijs, quæ natura ad legitimam videndi facultatem instituit, spiritus neq; crassior neq; tenui-

Nyctalopes.

Quid ad bene uidendū requiratur.

or eſſe debet, ſed aerea natura, tum ſubſtantia tum qualitate moderata, iuſta etiam quantitate: quæ omnia pendent à natura ſanguinis & pituitæ, in quibus ſubſtantia eſt ſpiritus. Temperatus enim ſanguis eũdem ſpiritum gignit: intemperatus verò vitioſum reddit. Subtilior ſpiritus obſcuro in loco melius habet, vt in veſpertina acie. Tenebris enim cum colligitur, craſſeſcit, & frigidior redditur. Idem efficit, vt & minima cernamus, & pingamus calamo, ſed tantum ea, quæ in proximo ſunt. Contrà verò craſsior ſpiritus, vt in ſenioribus, remotius poſita intueri poteſt, tantùm cernit maiuſcula, eademq́ue calamo fingit, ex quo inuenta eſt ratio Opticorum in ſpecularibus, vt conuexa, minores: concaua, maiores: plana æquales formas & literas repræſentent. Vt enim oculares radij maiorem minorêmue angulum deſcribunt, ita formæ oculis proponuntur. Hæc vitia magna ex parte ab humorum vel vaporum craſsitie excitantur, multòq; maximè ſi derepente orta ſunt, & grauitas ſentitur in radice oculorum.

Curatio Sang. miſſio.

APERiatur itaque primum cephalica, ſi res poſtulat, alioqui ſi cacochymum corpus eſt, purgetur hoc modo.

Purgatio.

℞ pul. hieræ picræ Gal. ℈ ij. pul. hieræ dia colocynthitos ʒ ſ. caſtorei ℈ ſ. ſe. fœnic. nucis moſcatæ

moſcatæ ana grana vj. cum ſucco rutę, formẽtur pilulæ. Poſſunt & pilulis cochijs, pilulis lucis, alephanginis mixto agarico purgari. Mollis teneatur aluus pilulis factis ex ʒ j. aloes ʒij. terebinthinæ vel caſsiæ: alioqui polypodio, cartamo, mercuriali, ſenna, parietaria, iuſculo concoctis. Tum errhinis, apophlegmatiſmis, ſternutotorijs vtendum erit.

Cucurbitula occipitio fixa cum ſcarificatione, ea vi obſtructiones liberat, vt ea ipſa etiamdum hærente, aliquando viſus ſit reſtitutus. Conſtrictio colli ita ſpiritum impellet in oculos, vnde inde ampliatis vijs & ſpiritu liberiore, viſus reddatur, aut certè acuatur. Cucurbitulæ.

Poſt hæc extrahendus ſanguis eſt ex angulis oculorum. Raſis etiam è fronte. Meſue è naribus. Sang. miſſio à capite

TOPICA infinita propè deſcribẽtur, quę ex varijs authoribus colligi poſſunt. Tradunt capreas noctu non minus cernere, quàm interdiu, & ideo caprinum iecur, ſi veſcatur, reſtituere veſpertinã aciẽ ijs, quos nyctalopas vocãt: idem iecur aſſum & cum ſale comeſtum iuuat: aut ſanie, quæ inde effluit, dum aſſatur, oculos illinunt. Alij vaporem elixati iecoris oculis excipi iubent. Sunt qui hirci potius quàm capræ, & hirci montani iecur imperant. Nõnulli configunt caryophyllis, alij Topica. Hepar capræ.

irrorant aqua fœniculi, hocq; remedium commune faciunt myopibus, qui tantum nocte vident, Octauius & Herophilus, quod nun probat Aetius. In senectutis magis, quèm oculorum vitio succum mali granati optimo melli æqualiter commiscebis, aliquot dies insolabis, aut calidis cineribus coques. Alij granatum acidum, deposita duriore testa contundunt, melli miscent, concoquunt, ac tandem vehementer exprimunt, eidem remedio, fœtori oris, firmandis gingiuis, ozænis.

Mali granati succus.

Herbæ.

HERBAE conueniunt fœniculum, ruta, chelidonium, euphrasia, verbena, asparagus, betonica, chamædrys, raphanus, balsamita, pimpinella, caryophyllata, apiū, maiorana, marrubium, parietaria, hyperici flores, meliloti & rorismarini. Aromata, macis, cinnamomum, nux mosc. lignum aloes, spica, santali. Conseruæ enulæ, acori. Horum omnium vsus est, vel quia eduntur, vel quia musto feruent, aut in puluerem redacta sicca collyria faciunt, aut melli commiscētur, vt eorundem succus, aut in alembico destillantur. Redditur aqua efficacior, si quid mellis liquidioris cōmisceas dum distillantur, atq; hac etiam fortior, cum mel scylliticum in alembicum conijcitur.

Lactuca syluest.

Lactuca syluestris olim laudata est, cuius rei argumentum quod Aelianus scribit, acci-

pitrem tinnunculũ (quercerellam esse volũt) acerrimo lactucæ syluaticæ succo, oculos illinire, atque ita laborantem aciem instaurare. Quod deinde medici secuti sunt, atque hinc oculorum medicina hyeracia, quasi accipitraria vocata est.

Aqua quam scribunt restituisse visum cæco nouem annorum.

Aqua probata ad oculos.

℞ succi apij, fœniculi, verbenæ, chamædryos, pimpinel. caryophyllatæ, saluiæ, chelido. rutæ, centinodiæ, morsus gallinæ, caryophyl. farinæ volatilis, ana ℥ j. piperis crasse triti, nucis mosc. ligni aloes ana ʒ iij. omnia immergantur in vrina pueri incorrupti, & sexta parte vini maluatici, bulliant breui tempore, tum exprimè & percola, repone vase vitreo bene obturato, hora somni singulas guttas singulis oculis instilla.

Dum efferuescit mustum, euphrasia inijcitur, vinum repurgatum asseruatur, singulari remedio. Eiusdem herbæ puluis sorbili ouo inspergitur, aut inde sal ὀξυδυρκικὸν paratur.

Vinum euphrasiæ.

℞ salis communis ℥ j. euphrasiæ siccæ ʒ ij. macis, cinnamomi ana ℈ j. misce. Flores roris marini, amphora vitrea concluduntur, quæ duplicato linteo cerato obtegitur in arena, vt mos est Chymicis, id est alchymistis, liquor redditur efficacissimus oculorum clari-

Sal oxydercicum.

tati. Accipiter vnguento ſuſino decoquitur, vinum abſinthites aut rhodinum, antimonium, tutia in aqua fœniculi extincta. Pica auis in teſtaceo vaſe cremata & in cinerem redacta, vehementer laudatum remedium à practicis.

Accipiter.

Pica auis.

℞ ſileris montani, maioranæ, euphraſiæ, rutæ, cheliodoniæ, ſummitatum fœniculi ana ℥ iij. zingiberis, ſpicæ nardi, piperis longi, caryophyllorum, tutiæ extinctæ & nutritæ, ſarcocolæ nutritæ in lacte aſinæ, ligni aloes ana ℥ j. fellis aquilæ aut accipitris, balſami ana ℥ ſ. mellis roſ. ℥ j. conquaſſentur conquaſſanda, liquabilia liquefiant, miſceantur, & æſtate quidem 40. diebus inſolentur, ſemper agitando & obuertendo vas: hyeme in cineribus moderatè calidis, ſimiliter macerentur, reponantur vaſe vitreo ad vſum. De vſu viperarum alio loco. Vt vis medicamenti facilius penetret, aqua tepida è coto vel molli linteolo fouebis oculos. Frequens vſus trypheræ minoris, chebul. conditi. mithridatici, & theriacæ, ſed magis hyeme commendatur. His autem vti oportet iam bene purgato corpore, vt etiam ſinapiſmis & cauterijs. Rationem vitæ & reliqua remedia localia ex alijs colligito.

DE CATARACTA.

Caput XVI.

Cata-

CAtaracta Barbaris præcipitem decubitum humoris significat: hocq; nomen positum à practicis, quia suffusionem existimarant fieri defluxu aquæ in oculum, vnde & aquam descendentem in oculum appellant. Galenus 2. de Symptomatum causis & 7. de placitis Hippocratis & Platonis suffusionis causam facit, crassitudinem tenuis humoris, qui pupillæ meatum intercipit, ne possit communicare radius externus cum crystallino humore. Tenuis is humor, albugineus à quibusdam, medius est inter rhagoidé & crystallinũ humoré, quo crystallnuis humor præcipuũ instrumentũ visus, partim fouetur, partim (*alijminuitur*) munitur, vt lux refringatur, nec lædat crystallinũ. Pupillę foramen via est spiritus animalis, aut etiá radiorum, qui à rebus externis ad videndi facultaté importantur. Præclusa itaque via, quia videlicet humor ille albugineus longè crassior seipso factus est, suffusio fit, quæ ὑπόχυσις & ὑπόχυμα dicitur à Græcis. Nascitur hoc vitium sæpe consortio stomachi, sæpe etiá primario vitio cerebri, atque priusquam ad curationem accedas, idipsum diligenter distinguendum. Distingues autem ex cap. 1. lib. 4. de locis affect.

QVOD si vitio stomachi, vomitu, purgatione ex hiera picra, frugaliore vita, & inte- Curatio si ob stomachi uitium contingat.

gra concoctione,consensu Græcorum & Arabum,curari debet. Oporteťq; & vomitum & purgationem ex hiera sæpius reuocari.

Curatio si ob cerebri uitium.

IN alia verò quæ primario affectu cerebri fit,natura suffusionis primum consideranda est. Nam vel incipit, vel ad statum progreditur,vel omnino confirmata est, & hæc quidem desperata est.Itaq; pupillam primũ aspicito, colorem suffusionis,concretionem, motum,magnitudinem distinguito. Si quid præcessit,aut adest,interrogato: ætatis,temporis, conditionis totius oculi rationem habeto.

Differentia suffusionis.

Quæ suffusio curabilis.

Desperata suffusio est,quę pupillæ figuram commutauit. Pura atque pellucida tum pupilla tum suffusio. Suffusionis color cœruleus aut auri similis,aut ferri nitẽtis, aut aquæ maris,curabilis est. Quæ verò grandinem refert aut gypsum,quæ nigra est:in summa , quæ sine splendore cernitur,incurabilis est, fereque confirmata ad candorẽ vergit sine splendore.

Quæ incurabilis.

Concretionis signa.

CONCRETIONEM ita distingues. Oculo incolumi clauso , suffusum digito apprimes,si humor ille tenuis consistit,neq; ampliatur,sed statim vt prius coit , nondũ desperata res est. Si verò dilatatur quidẽ,sed dissoluitur, maturitas est vt punctione vacuari posit. Cataracta quæ locum mutat incurabilis , hoc est, quæ hac atque illac conuertitur. Quæ verò com-

ſo compreſſa dilatatur, non etiam commutat locum, melior eſt. Exigua facilius, magna difficilius curatur. Interrogabis autem, num præceſſerit grauis aliquis morbus, acerbior capitis dolor, vel ictus. Tum enim, vt etiam ſi adſunt, peior ſuffuſio eſt. Aetate media facilius curatur, prima & extrema, difficilius. Cœlo ſereno & tranquillo, atque etiam temperato commodius curatur. Addunt Aſtrologi decreſcente Luna, cocunte verò, aut eadem plena, atque vbi vel in ariete, vel alijs eiuſmodi ſignis, curationem differunt. Nec omittendum quod Galenus docet, vt oculus ſanus claudatur atque comprimatur. Si enim oculus ſuffuſus, inde non intumeſcit, nec pupilla ampliatur, deſperatio eſt: alioqui vitio ſuccurritur. Phantaſmatum, ſplendoris, idolorum cauſæ & diuerſitates, & quæ ſuffuſis oculis obuerſantur, lege apud Galenum. 2. de Symptomatum cauſis.

Principijs ergò obſtandum eſt. Demoſthenes apud Aetium, & alij quidam Græci venam ſecant in cubito. Clyſteribus acribus, ijſdemque purgationibus, ſed exigua quantitate & per interualla repetitis. Cucurbitulis in occipitio cum ſcarificatione apophlegmatiſmis, errhinis per interualla vti iubent. Cornelius Celſus addit ſectionem venæ frontis, ſan- Curatio.

guinis detractionem è naribus, vstionem vena rum temporalium, quæ certe locum habere possunt, vbi grauis capitis dolor est, atq; inde defluxio in oculos.

Victus ratio.

OPTIMVS victus, qui pituitam extenuat sine vaporibus. Vitandum vinũ est, pisces liquidiora omnia iuscula assa elixis meliora.

Clysterum materia.

Collyrijs primum leuioribus, deinde paulatim maioribus vtendum est. Clystere è centaurij decocto vel similium, comparandi sunt, alioqui vel hieræ picræ ʒ vj. vel hieræ diacolocynthidos ℥ ſ. aut alia eiusmodi pharmaca in clysteribus dissoluenda sunt.

Purgationes.

PVRGATIO ex hiera picra, cui aliquid hieræ diacolocynthidos admixtum sit. Exempli gratia.

℞ pulueris hieræ picræ ℈ ij. pulueris hierę diacolocynth ℈ j cum succo fœniculi, formentur pilulæ, capiat hora somni. Hæc purgatio decimo quoque die aut decimo quinto reuocanda est.

Theriacæ usus.

Per interualla mithridatij aut theriacæ ʒ ſ. aut ℈ ij. aliâs ieiunis, aliâs hora somni, aliquando quatuor horis post pastum, imperanda sunt semel in hebdomada.

Cap. ablutio.

Poterit aliquando imperari ablutio capitis ex decocto absinthij, betonicæ, stœchados, maioranæ, fœniculi, in lixiuio facto è cineribus

sarmen-

ſarmentorum, adiecta etiam vini portiuncula quarta aut ſexta parte.

Collyria è melle, ſucco fœniculi aut herbarum proximo capite deſcriptarum, comparari debent. Adijciatur quoque fellis aliquid leuioris aut fortioris, ſemper habita ratione mollitiei, duritiei, temperamenti oculi. Alia enim remedia pueros & ſenes, ruſticos & vrbanos, cæruleos & fuluos oculos, cęſios & nigros iuuare poſſunt. Collyria.

IN pueris lactantibus aliquando nutricis inſpiratio ſatis eſſe poteſt. Nutrix itaq; mandet dentibus ſemen fœniculi, ſagapenum, ammoniacum, galbanum, aut eorum aliquid, quę ſuffuſos iuuant, atq; vbi os incaluit, leuiter inſpiret halitum oculo lactantis. Hoc conſilium etiam adultis prodeſſe poteſt. Secundum eſt, vt ex eadem materia oculos ſuffumiges. Curatio puerorum.

Aqua è melle diſtillata, & ſuffuſiones & albugines interim percurat. Quæ deſtillatur è melle roſ. lenior eſt, deinde quæ è melle communi, poſt etiam è melle ſcyllitico. In ijs aquis aliquando modicum ſacchari candi liquandum eſt. In diſtillatione proximo capite numeratæ herbæ & materia, tum etiam ſagapenum, ammoniacum, galbanum cõmiſceri poſſunt. Aut ſi iá diſtillata eſt aqua, in ea maceran Aqua mellis. Aquæ deſtillandæ.

tur. Similiter & vis aquarum fœniculi, maioranæ, & cæterorum augeri poteſt. Collyria fortiora.

Collyria fortiora.

℞ fellis accipitris, balſami ana ℈ ij. adde, ſi vis, ellebori albi, piperis ana ℈ j. cum aqua raphani fiat collyrium. Aliud.

℞ terebinthinæ ℔.ſ. ſulfuris viui ℥ ij. mellis roſ. ℥ iiij. plantaginis & arnogloſſ. ana M. ij. fiat diſtillatio in alembico. A fortioribus collyrijs ſi mordetur oculus, ſtatim oui candido, aqua roſ. aut lacte muliebri temperandum, malum eſt. Plura remedia ex proximo cap. & alijs repetes.

Punctio ab acu.

Punctionis vero quæ acu fit tempeſtiua occaſio eſt, cum materia ſuffuſionis mediocriter concreuit, cuius formulam deſcriptam habes cap. 21. lib. 6. Pauli, & lib. 7. Cornelij Celſi.

DE HAEMORRHAGIA
Caput XVII.

HAEmorrhagia Græcis peculiariter intelligitur profluuium ſanguinis è naribus, quanquam ex vocabulo, quodcunq; ſanguinis profluuium intelligi poteſt: quale eſt, è ſede, vtero, ore. Rarum eſt, quod quibuſdam contingit peculiari natura, vt aperta è trunco corporis, hypochondrijs, thorace, facie, venæ clauſura, redundantem ſanguinem depleant: quibus

quibus eadem remedia conuenient, quæ in hę morrhagia è naribus. Hæc autem aliâs critica est, aliâs consuetudine naturalis: nōnunquam omnino præter naturam est.

Differentia hæmorrhagiæ.

IN duobus primis generibus sanguis supprimi non debet, nisi viribus iam metuitur: multò etiam minus ac tardius ætate iuuenili, temperamento sanguineo, aut vbi consueta aliqua euacuatio, intermissa est: quales sunt hæmorrhoides, vomitus sanguinis, phlebotomia, & menstrua in mulieribus. Vbi vero supprimendus est, remedia sunt vincula, cucurbitulæ, phlebotomia, sanguisugæ, anacollemata indita naribus, aut admota reliquis corporis partibus.

Curatio. Quando & in quibus corporibus sanguinis sisti debet.

Vincula ergo digitis pedum & manuum, testiculis, articulis interuallo trium digitorum, auriculis inijcienda sunt.

Frictiones etiam deorsum ductæ, immersiones extremorum in aqua calida, vel frigida conueniunt.

Phlebotomia è cephalica eiusdem lateris, aut vtraque, si vtrinq; profluit sanguis: idque angusto vulnere· tutiusq; aliquoties diuersionem repetere, quam semel ducto sanguine, animi deliquium excitare. Quod tamen animi deliquium Paulus, & aliquot alij probauerūt. Galenus in Prorrhetico non expectandam

animi deiectionem præcipit: atq; experimento certum eſt, animi deliquio, ſanguinem non reſtitiſſet.

Sãguiſugæ. Sanguiſugæ poſt aures, aut in ſede, ijs maximè, quibus conſuetæ ſupprimuntur hæmorrhoides.

Cucurbitulæ ſtatim poſt vincula, & ante phlebotomiam hypochondrio eiuſdem lateris affigendæ ſunt. Affiguntur & ſcapulis & ſummæ ceruici, & cum ſcarificatione, ſi opus fuerit, & vires tolerant.

Anacollemata. Anacollemata vero, & quæ induntur naribus; magna ex parte refrigerant, quorum vſus poſt alia ſupradicta remedia tempeſtiuus eſt, iam reuulſa in partes contrarias materia, hoc eſt in partes inferiores corporis, aut poſteriores capitis: alioqui vſu refrigerantium plurimi quidam deterius habuerunt, inde conuulſi, aut oborta ſpirandi difficultate, ſuffocati. Et hæc remedia infirma, omnia comperit Galenus præ maioribus illis remedijs, ex quinto Methodi libro de Sanguinis miſsione. Anacollematis ergo & alijs topicis poſt reuulſiones vtendum erit, habita ratione naturæ capitis & partium quibus admouentur. Anacollemata fiunt ex argilla, farina volatili, farina triticea incorporatis cum oui albumine, addito momento aquę roſarum & aceti. Poteſt quoq; aliquid

aliquid adijci boli armeni, ſanguinis draconis, coralli rubri, & rerum eiuſmodi quæ aſtringunt: quale hoc eſt.

℞ argillæ ℥ ij. boli armeni ℥ ſ. acaciæ, hypociſtidos ana ʒ ij. cum oui albumine & modico aceti, fiat emplaſtrum, applicetur fronti & temporibus.

Induntur in nares quæ refrigerant, aſtringunt, inuiſcant, aut cruſtam ducunt, interim mixta portiuncula narcoticorum. Verùm & narcotica & cauſtica cum periculo eſſe ſolent. Sine metu ſunt, ſuccus plantaginis, ſuccus rubi, meſpilorum, cornorum & alij eiuſmodi. Lanugines arborum, quæ folijs inſident, aut quæ veluti nucamenta pendent è ſpecie populi vel maſculæ ſalicis, quam Galli marſault appellant, medio menſe Martio colliguntur, macerantur in aceto, ſiccantur & vſui adſeruantur. Vſus tempore induntur per ſe naribus aut cōuenienti medicamento induuntur atque ita imponuntur. Quæ naribus induntur

Spongia aceto acerrimo imbuitur, imbuta, pice liquida circumducitur, tum fictili vaſe repoſita crematur, in puluerem redigitur, puluis efficaciſsimus eſt, & per ſe inſufflatur naribus, vel liquidis medicamentis commiſcetur. Aliud. Spongiæ præparatio

℞ thuris ʒ ij. aloes ʒ j. cum oui albumine

incorporentur. Penicillus è mollissimis pilis leporis, aut floccus è lanugine aut nucamento supra dicto, in eo medicamento immergitur, & ita imponitur naribus. Penicilli etiam conueniunt è tela aranearum, cui insideat gyris, id est, farina volatilis etiam cum boli armeni puluere, aut sine hoc.

℞ succi basiliconis ℥ vj. aceti ℥ ij. camphoræ ℈ij. misce: linamenta hoc medicamento imbuta induntur naribus.

℞ aquæ plantaginis, rosarum ana ℥ vj. aceti, vini albi astringentis ana ℥ iij. camphoræ ℥ j. misce, & in miscella madefac linteamina, quæ coto inuoluas, hepati, pedibus ac manibus, testiculis & mammis appones. Applicari etiam potest testiculis pannus aqua frigida madidus.

℞ aquæ panis porcini ℥ j. camphoræ ℈ ij. attrahatur in nares. Terra sigillata, bolus armenia, sanguis draconis, trochisci de carabe, oui albumine & aceti momento dissoluũtur: hinc madefactus penicillus naribus imponitur. Radix alias pæoniȩ peruincæ subiecta, linguȩ sanguinem sistit, herba vero fronti apposita aut naribus indita. Fragaria herba trita similiter iuuat. Vtile est olfacere camphoram in aceto dissolutam.

Balneũ frigidum.

Quidam temerario remedio, cum reliqua omnia

omnia non iuuissent, eum cui profluebat sanguis, in balneum deduxit, atque demersit ad collum, & ita restitit sanguis. Verum ab hoc re medio certum exitium est, si vires vehementer laborent. Vulgus vtitur corallo è collo suspenso. Lapis iaspis, onyx, id est cornelina, hæmatites, lapis sanguinarius eidem remedio esse creduntur. Sunt qui applicent parti vbi debet fieri reuulsio. Corneolus.

DE ANGINA. Caput XVIII.

ANgina inflammatio est fauciũ aut musculorum, qui ad fines asperæ arteriæ siti sunt, nonnunquam etiam exteriorum ceruicis. Desperatio est, cum nusquã apparet, cum grauissimus dolor est, febris, cum os hiat, lingua exerta est, intercepta deglutiendi via, & potus per nares refluit: aut si ad initia ceruicis cauitas est, intrò adducta vertebra. Hæc vt minuuntur, ita leuior morbus est.

OPORTET ergo statim initio collocare ægros loco satis amplo nec frigido: ita residere in lecto, vt caput altius attollatur. Curatio.

LIQVIDIORA sunto alimenta, parcissimè viuant quantũ vires possint tolerare. Abstineant ab his omnibus, quæ fluxiones incitant, quale vinum est, vaporosa, & calida fe- Victus ratio.

rè omnia. Vitent etiam glutinoſa, quæ cum etiam non detergeant, vias iam oppreſſas anguſtia intercipiunt.

Sãguis mittendus.

Primis diebus atq; adeo initio morbi ſanguis detrahendus eſt, adhibito prius hoc conſilio. Mulieribus tum grauidis, tũ quibus ſupprimuntur menſes, angina accedit aliquando. In grauida, ſanguinem detrahes nullo metu ad ℥ iij. vel iiij. plus minúsue, vt ſcopi phlebotomiæ indicabunt: minus, ſi fœtus maior eſt, vt poſt ſeptimum menſem. Quod ſi mulieri grauidæ, etiam tum menſes fluunt, multo liberius ſanguinem è cubito detrahes: hic enim & ab angina matri, & ab abortione fætui periculum eſt. In ijs vero, quæ vterum non gerunt, & menſes ſupprimuntur, venam è crure vulnerabis, copioſiusque detrahes, tum ad venas brachij, quæ morbo conueniunt phlebotomum transferes. Hoc conſilium multis alijs morbis, quibus corripiuntur mulieres, commune eſt. In alijs, ſiquidem manifeſta ſigna plenitudinis, è ſaphena, id eſt malleolis: ſi mediocria, è media cubiti: alioqui è cephalica ſanguinem detrahes mediocri vulnere: ne ſi amplius ſit nimium viribus detrahatur: ſi anguſtius, effluat tenuis ſanguis, craſſius relinquatur. Hyeme etiam vbi anginæ ferè phlegmaticæ, parcior detractio, ſed foramen maius eſſe debet. Vere, &

reliquis

reliquis temporibus copiosior, vulnusque angustius imprimatur. Cucurbitulæ ex libro de cucurbitulis collocentur.

Mollis aluus esto leuibus clysteribus, multò magis, si febris est: in quibus interim dissolues casiæ fistulæ ℥ j. vel catholici aut hieræ picræ ℥ ſ. Huius hieræ vis, summè probata est. Nam cum angina multos Romę suffocaret, eaque veluti pestis tota vrbe grassaretur inuentum remedium à Medicis, vt post frugalem cœnam ℈ ij. plueris hieræ in pilulas coactos exhiberent, quo auxilio quicunque vsi sunt, periculum declinauerunt tam atrocis morbi. Paulus omissa phlebotomia acrioribus clysteribus vtitur, dissolutis ʒ iij. hieræ diacolocynthi. Sed quod ante dictum est, prius quàm inijciamus clysteres acriores, leuioribus vti oportet, qui inueteratum stercus emolliant & detrahant, Vt. Clyster.

℞ chamomillæ, meliloti, maluarum ana M. j. furfuris. p. j. in decoctione dissoluatur casiæ pro clystere ℥ j. ſ.

Purgationes quoque leues ex casia, manna ad ℥ j. aut eo plus in decoctione passularum, hordei, florum cordialium, tamarindorum, sebesten, prunorum. Suspectum pharmacum est, quod Asclepiades imperauit ex aloe & colocynthide, tũ quia in pilulas conformat, Purgatio.

tum quia fortius eſt. Diſſoluta enim liquoribus, non coacta in pilulas pharmaca, magis conueniunt, propter difficillitatem degluriendi.

Gargariſma. DVM hæc fiunt gargariſmis vtendum eſt, initio quidem repellentibus, deinde admixta vi reſoluēte & detergente. Poſt etiam ſi fuerit opus maturantibus, atque vbi dolor grauior eſt, & ſentitur exulceratio, leniētibus. Horum materiam & compoſitionem repetes ex ſexto κατὰ τόπους, capite quadrageſimo tertio, & libro 8. Aetij. Recentiores medici iiſdem etiam vtuntur.

℞ decoctionis roſarum ſiccar. ℥ iiij. diamoron ℥ ij. ex ſorbis, cornis, moris rubi aut alioqui immaturis, è granatis acidis poterit exprimi ſuccus, & quarta parte ſacchari, aut mellis roſarum dulcorari: dianucum & diamoron initio diſſoluantur in duplo liquore aſtringente, quales ſunt ſuperadicti ſucci. Decoctum roſarum, plantaginis, ſorborum, cornorum, meſpillorum & ſimilium aſtringentium, vel in aquis inde diſtillatis.

Conſeruæ ſunt cornorum, ſorborum, meſpilorum, mororum immaturorum: quarum ℥ j. in duplo liquore aſtringente diſſoluta, reprimentem gargariſmum efficit. Et hic quoque laudandus reprimendo & leniendo.

℞ ſuc-

℞ succi expressi è cassia fistula ℥ j. decoctionis rosarum aut aquæ plãtaginis symphiti, prunellę, salicis ℥ ij. vel decocti sebesten ℥ ij. aquę è sorbis, cornis, aut mespilis distillatæ ℥ iiij. misce pro gargarismate.

VT augetur morbus, ita repellentium modus minuendus est, & augendus resoluentiũ. Itaque plus mellis admiscemus, vtimurque hydromelitæ plus minúsue diluto, in quo rosæ, plantago, nenuphar præbullierint, syrupo rosarum, syrupo etiam de papauere, de nenuphare, aut etiam de iuiubis, vbi fluxio tenuior est.

Vbi ijs remedijs nihil proficimus, venę sub lingua incidendæ sunt. Alij ex Asclepiade & Archigene venam frontis, & quæ ad angulum oculi pertinet. Hippocrates tertio de morbis, venam quæ sub mammis est, nonnnulli venas ceruicis. Verum tutius est post vniuersalem euacuationem perseuerante malo, cucurbitulas cum scarificatione ad initia ceruicis affigere, &c. Postea venas sub lingua, vel phlebotomo aperire, vel scalpello scarificare. Sanguisugæ ijsdem locis quibus cucurbitulæ affigi possunt. Quæ vbi detractæ fuerint, cucurbitulæ inducuntur, perpetuo virium habita ratione.

Venæ sectio.

Cucurbitulæ.

Sãguisugæ.

De cinere hirundinum, humano stercore,

canino,& alijs quæ melli mixta ,aut aliter præparata , anginæ conueniunt , lege postremos libros Galeni de simplicibus:vt de Asellis & alijs remedijs,commentarios κατὰ τόπους.

Asperitas gutturis.

LEnies dolorem & asperitatem gutturis aqua , in qua mica panis albisſimi coxerit , aut panis ita coctus vehementer exprimatur,colluatur os succo.Eodem modo è furfurum tritici pinguium cremore. Lac etiam per se,mucilago,seminis cydoniorũ,lini,althææ,aut hic Sorani efficacissimus gargarismus.

Sorani gargarismus ad asperitatem.

℞ Liquiritiæ recentis rasæ & conquassatæ ℥ iij. mellis rof. ℥ j. aquæ fontanæ ℔. s.coquantur omnia ad crassitudinem , è colatura fiat gargarismus. Penidia quoque in lacte dissoluta,ptisanæ succus , hordeatum, lac amygdalarum dulcium,similiter valent gargarisando. Maturantia.

℞ ficuum pinguium ℥ iij. hyssopi p.j. fiat decoctio ad dimidiam,colatura colatur.

In metu suffocationis.

ANGInosi sæpisſimè periculò suffocationis laborant. Quod si periculum inde natum est,quia erupit tumor, & sanies in pulmonem & cor defluxit,desperatio est , nisi summo beneficio naturæ adiuentur : alioqui sæpe fit , vt cum nimis increuerit tumor , omnino intercipiat vias spiritales , vbi certa mors est,nisi occurramus . Itaque extremo malo extrema

remedia

remedia sunt tentanda. Repetenda sectio venarum sub lingua. Cucurbitula magna & cum multa flamma initio ceruicis affigenda est. Collum & thorax onere leuanda sunt, atque inungenda oleo de lilijs, aut fœnugræco. Caput ijs attollendum est vt propè sedeant. Aer frigidus introducendus est. Locus sit lucidus & perspiratus. Cucurbitulę quoque in pulpis scapularum, in mento & maxillis: Alij etiam in sutura coronali, & sub mammis coaptant. Rasis etiam vesicante phœnigmo vtitur, initio ceruicis. Tumque gargarismis acrioribus vtendum est, vt hydromelite in quo p.j. hyssopi, aut origani coxerit, aut radix gentianæ, cucumeris agrestis, iridis. Aut.

℞ seminis sinapi ʒ ij. conquassentur & in aceto accerrimo macerentur, incorporentur cum modico melle, deinde dissoluantur in ℥ ij. mulsæ ad gargarismum.

QVOD si ijs artibus nihil proficimus, vltimo auxilio Asclepiadis vtendum est, tum etiam omnium ferè Medicorum. Hiante ore lingua deprimatur, culter ligneus acutus indaturin guttur, vt tumor disrumpatur, tũ prono capite sanies repurgetur. Vbi in faucibus manifestus est tumor, vellicandus est vnguibus, aut aperiendus ferro.

Quæ tumorem rumpant.

Alij spongiæ partem ad magnitudinẽ auel

lanæ ſuſpendunt è filo, & ita ab ægro deuorari iubent. Intumeſcit ſpongia, atque dum vi retrahitur, tumoré rũpit. Hoc alij bolo, carnis ſalſæ ſemi coctæ ita ſubtenſo & deuorato, tum vi retracto moliuntur: alioqui ſcarificandus eſt locus ſub maxillis, ſub mento, in collo, vitatis neruis & arterijs. Sic enim aliquando ſanies effluit, alioqui cucurbitulæ, ſcarificatis locis, apprimendæ ſunt.

Emplaſtrũ è nido hirundinis. E nido hirundinis in aqua decocto aut oleo cõmuni vel chamæmelino emplaſtrũ faciũt, quod inducunt collo. Alij è ſtercore humano recenti. Quidam, quod tolerabilius eſt, è lana ſuccida inſuccata in oleo communi, oleo liliorum, camæmelino aut ſimili, quorũ conſilium eſt, vt materiam foras euocent.

DE TVSSI.
Caput. XIX.

Tuſſis cauſæ. TVſsis cauſa ſola intemperies, partiũ conſenſus, vt lumbricis vel huiuſmodi acri humore ſtomachum infeſtantibus: & quod ſæpe fit, à cerebro defluxio, aliâs calida, aliâs frigida: tum etiam humor in pulmonibus conceptus, aliàs craſſus, aliàs tenuis, interim viſcidus: nonnunquam etiam aſperitas arteriæ.

Curatio. Tuſsis à frigore. VT recte cures cauſa cognoſcenda eſt. Intemperie frigida (quod ſępe fit hyeme rigéte) domi-

domicilium calidũ, animæ retentio, vini dulcis & calidi potus, partium pectoralium munitio, ex linteis calentibus, pedum calor & capitis, sufficienti remedio esse possunt.

DEFLVXIO tenuis, maximè si copiosa est, retinenda est incrassantibus, multo magis si acris est: id quod intelliges ex oculorum & faciei rubore, titillatione, aut etiam mordicatione oris interioris, sapore, vrinis multum coloratis, tum etiam antecedentibus causis. Hęc enim tussis, etiamsi initio leuis est, tabem denuntiat. Itaque statim initio medicamentis vtendum est, quæ inspissent, & obtundant materiam, conueniunt itaque aqua hordei, syrupus violarum, de papauere, mucilago psyllij, semen cydoniorum, decoctio papauerum, adiecta sapa, vt & somnum concilies, & fluxionem incrassatam cohibeas, nec attenues. Tussis à tenui & calido humore

Mellitissimis plurimum vtuntur Medici in tussi, quibus tamen abstinendum est, vbi fluxio est tenuis. Mel enim attenuat, sed loco mellis, vti oportet, vocato melle passulato, ficato, quod syreum nonnulli vocant, succo glycyrrhizæ, aut prunorum. Hæc autem ita comparabis, Passulas, ficus, pruna, iuiubas, sebestê, horum aliquot in aqua coques, ad putrilaginem, tum cum vehementi expressione percolabis & iterum coques ad mellis crassitu- Mel. Mellis passulati præparatio.

dinem. Hinc vtimur etiam mucilagine gummi tragacanthi, gummi Arabici, extracta in aqua rosarum, in aqua violarum & in corporata in aliquo succorum prædictorum, vt gratia exempli:

℞ mucilaginis gummi tragacanthi extractę in aqua rosarum ʒ vj. incorporentur in mellis passulati, succi liquiritiæ ana ℥ j. ſ.

Pil. fluxũ inhibentes. QVOD si vigiliæ vrgent, & dolor maior est, admisce pilularum de cynoglossa ʒ ij & affunde aliquid syrupi de papauere, violati, aut rosati, finge pilulas, pondo ℈ j. quas contineat in ore.

ATque vbi maior fluxio est, secta cæphalica diuertenda erit: deinde etiam purgationem è casſia, manna aut penidijs admixtis, Vt.

℞ casſiæ ℥ j. penidiorum ʒ vj. dissoluan. in aqua hordei, passularum decocto aut liquiritiæ. Sæpe vtendum est hordeato cum saccharo viol. Partes quoque colli & thoracis, si incaluerunt, illinendæ.

Linimentum. ℞ olei violarum ℥ ij. mucilaginis seminis psyllij extractæ in aqua vngulæ caballinæ ℥ j. ceræ lotæ ex aqua violarum q. ſ. f. linimentũ.

Cauteriũ. NIMIS vrgente malo cauterijs etiam vtendum est, tum in sincipite tum etiam in ceruice & scapulis. Multa repetenda ex capite de catarrho.

IN materia frigida neque phlebotomia, neque purgatione vtendum est, nisi corpus admodum plenum sit, tumque cassia addita terebinthinæ, vt sint cassiæ ʒ vj. terebinthinæ ʒ iiij.ſ. bolus cum saccharo, vel dissoluantur in ficuum decocto, aut simili. Possumus etiam vti agarico, in pilulis formatis cum rhabarbaro, cum puluere hieræ picræ, hieræ diacolocynthidos cum elephanginis pilulis, aut etiam fortioribus, sed melius fuerit vti prius melicrato, in quo vel hyssopum vel thymum, vel marrubium, aut aliquid tale incoxeris, alioqui vti syrupo capillorum veneris, de hyssopo, de marrubio & similibus. A frigido humore. Purgatio.

IAM purgato corpore, incidendum, detergendum, siccandum: sed in siccantibus cautio est, vt ne nimium calefaciant, qualia sunt acria: diuretica inimicissima expuitionibus ex thorace, nec statim initio vtendum est, maximè si materia crassa, aut viscida est. Præterea vtimur semine apij, vrticæ, nasturtij, scyllæ, erisymi, raphani, fœniculi, & torrefiunt atque in puluerem rediguntur, tum horum ʒ ij. com miscentur ʒ vj mellis despumati. Materiæ preparatio

Laudant vt per interualla bis aut ter in hebdomada, mithridaticum, aut theriaca ad magnitudinem auellanæ ex vino albo, sumatur. Theriaca.

ANIMADuertendum quoque hoc loco,

liquidioribus potius vtendum esse, quàm crassis & solidis medicamentis, vbi repurgandi cõsilium est. Contra verò solidis, vbi coquendũ. Deinde etiam non vtendum esse viscosis, nisi habeant aliquid detersionis. Vbi exasperata arteria est, conueniunt viscosca sine mordicatione, quale est tragacãthum, gummi Arabicum, oui luteum sorbile, butyrum, mucilago seminis cydoniorum, lac per se, mel passulatum, succus iuiubarum, ficuum, dactylorum veterum non recentium: nam recentes exasperant. Hordeatum, lac amygdalarum dulcium, penidia, saccharũ viol. & alfeni ex dulci oleo. Vbi coquendum est, aliquid croci, thuris, myrrhæ, & eorum quæ leniunt, medicamentis adijciendum est. Semen iridis, vrticæ desiccant: mel, saccharum detergent: aromata, sed non nisi aliquo liquore, diluta, imperanda sunt. Plura remedia capite de asthmate & pleuritide.

Suffumigia Suffumigia initio quidem, si modica fluxio est, nec etiam capitis plenitudo. In fine verò roborando capiti & thoraci.

Senes tussiculosi. SENES tussiculosi potu vini dulcis tepido, butyro recenti, addito saccharo dulcoratis, condimentis, & interim decoct. caulium, leuibusque remedijs, curandi sunt.

Narcotica. NARCOTICIS aliquando vtimur, vbi tussis molestior est, & perpetuæ ferè vigiliæ.

Vtimur

Vtimur ergo ſyrupo de papauere, cũ decoctio nepalmularum aut pilulis de cynogloſſa, pondere ℈ ſ. aut his.

℞ ſpicæ celticæ ℈ j. cinnamomi ℈ ij. croci gra. viij. caſtorei gra. vj. opij in ſapa macerati gra. iiij. omnia excipiantur melle, fiantq; paruæ pilulæ, pondo ℈ j. teneat in ore. Tutior eſt vſus narcoticorum, iam purgato corpore, & thorace non ita pleno.

Vehementer commendant ſyrupum myrtillorum ſedandæ tuſsi: calidę quidem, cum iulep roſarum: frigidę, cum decocto paſſularum, aromatiſato modica ſpica. Syr. Myrtillorum.

DE ASTHMATE.
Caput XX.

Aσθμα ſuſpirium Latinis, à pituita craſſa & viſcida incluſa bronchis pulmonis, vnde anhelitus moleſtiſsimus: magiſque iacentibus, quàm ſedentibus. Affectus ſenibus familiaris, & ijs qui metalla, hydrargyrum, arſenicum, & alia eiuſmodi tractant: hyeme magis etiam extrema & phlegmatica conditione, excitari ſolet. Aſthmatis cauſa.

SVPERIORE cœnaculo, loco lucido, & calore plus quàm temperato, altioribus, mollibusq; ſtragulis, capite & thorace ſubleuato, Curatio.

multò etiam magis cum dormiunt, collocara oportet.

Victus ratio. Frugalis vita, potus vini tenuis & veteris dulciusculi, mellita alimenta, vel condita, ijs rebus quæ leniunt, incidunt, tergent. Iam liberalior potus esse debet, cum repurgandi consiliũ est. Omnino abstinendum frigidis, astringentibus, nimisque calefacientibus.

Venæ sectio. PHLEbotomia concedi potest ætatibus medijs, si nihil est in scopis vniuersalibus mittendi sanguinis, quod repugnet: si vehemens malum est, si suppressi menses, aut hæmorrhoides, alioqui inedia, aut parcissima vita aliquot diebus imperanda est.

Scopi curationis. Vtendum clysteribus, leuiter mollienda aluus est, materia in thorace concepta, incidenda, abstergenda, diluenda, repurganda tum pharmacis, tum ijs quæ sputa ducunt. Materia repurgata, desiccantibus vtendum est. Roborandæ sunt partes. Peregrinatio, nauigatio in mari, vectio in curru, aer maritimus: alia quoque eiusmodi quæ calefaciunt & siccant, imperanda sunt. Clysteres primum molles sint, ex remollientium decocto cum cassiæ ℥ vj. in ea dissolutis.

Aliqua verò ex parte præparata & purgata materia dissoluemus ℥.ſ. diaphœnici, ℥ iij. hieræ diacolor. ℥vj. benedictæ in pectorali decoctione.

ctione. Leniter album emollies ℥ j. cassia & ℥ ß. penidiorum dissolutorum in hac decoctione.

℞ liquiritiæ, passularum enucleatarum ana ʒ iij. iuiubarum, sebesten ana numero vj. florum anthos & borraginis ana p. j. spicæ ʒ j fiat decoctio, in colatura dissolue, etc. Laudatur melicratum hoc modo paratum. Materiæ præparatio.

℞ fœnugræci M. j hyssopi p. ij. ficus numero vj. fiat decoctio ad ℔. ß. in colatura dissolue mellis crudi ℥ iiij. Melicrati præparatio.

Laudatur quoque ius galli decrepiti, tum quia morbo conuenit, tum etiam, quia ventré leuiter subducit. Oribasius hoc modo coquit: Gallum rufum & decrepitum infarcit sale, tú incoquit cum porro, anetho multo & oleo. Loco olei butyro vtitor, aut alio pingui. Potest concoqui cum polypodio, semine cartami, cumino, aniso, hyssopo, satureia, thymo, & alijs eiusmodi. Decoctio quoque poterit dulcorari melle albo, aut saccharo. Ius galli.

Per interualla quoque fortioribus purgationibus vtendum est, vt pilulis factis ex puluere hieræ picræ, & agarici trochiscati ana ℈ ij. aut pilulis elephanginis, masticinis, de hiera, assaieret, cochijs & similibus. Massæ earum pilularum ℈ ij. cum ℈ ij. agarici & oxymelite scyllitico, formentur in pilulas. Pulueri Purgatio.

quoque hieræ diacolocynthidos ℈ ij. agarici ʒ. ſ. trochiſcati coniunguntur, ex ſyrupo de hyſſopo: Alioqui.

℞ catholici ʒ vj diaphœnici ʒ ij. cum infuſione ℈ ij. agarici, cum modico ſpicæ & hydromelite quantum ſatis eſt, fiat potus.

Pectoris purgatio. IAM bene purgato corpore, Thorax repurgandus eſt: cui rei materia conuenit ex lenientibus, incidentibus, detergentibus, poſtremo etiam ſiccantibus.

Lenientia. Paſſulæ, ficus, ſebeſten, iuiubæ, liquiritia, penidia, ſaccharum alfeni, ſemen althææ, lini & ſimilia leniunt.

Incidentia. Detergentia. Incidunt & detergent hæc. Ariſtolochiæ radix, gentianæ, enulæ, centaurij, ſemen melanthij, ſcyllæ, iridis, vrticæ, bombacis, origanum, thymum, ſatureia, calamenthum, pulegium, braſsica, abſinthium, abrotonum, hyſſopus, allium, porrum, piper, caſtoreum, gutta ammoniaca, ſerapinum.

A proprietate. Hęc à proprietate, Aſſelli ſeu vermes hydreis ſubiecti, vermes ſerici, pulmo vulpis & erinatij, ſtercus lacertæ, interiora oculi philomelæ cremata, & in puluerem redacta. Guaiacū quoque, ſeu lignum ſanctum manifeſta ratione hic conueniunt.

Deſiccātia. Deſiccant ſulphur viuum, & arſenicum rubrum. Ijs autem omnibus ſic vti oportet. Nam è radi-

è radicibus, herbis, ſeminibus, decoctis, melicratum parari debet. Deinde reliquorum, quæ à proprietate iuuant, in puluerem redactorũ ℈ ij. plus minúsue, melicrati ℥ j. inſpergi debent. Alioqui ex alijs ſuccus expreſſus melli commiſcetur, aut horum puluerum ʒ ij. mellis ℥ ij. commiſcentur, quale hoc erit.

℞ hyſſopi M. j. ficus nu. vj. fiat d. ad ℔. ſ. in qua diſſolue mellis ℥ iij. aut iiij. aut ij. fiat melicratum, cui inſperge pulueris facti è pulmone vulpis ʒ iij. pro duabus doſibus. Aliud. Melicrati.

℞ pulueris gentianæ, enulæ, aliptæ moſcatæ, diaireos, vnius cuiuſque ʒ ij. mellis q. ſ. Optimum eſt vti melle ſcyllitico prius in Comitiali deſcripto, ſimiliter oxymel. ſcyllitico per ſe, aut cum decoctione pectorali, melicrato hyſſopi, aut ſimili.

Per interualla quoque theriacæ, aut mithridatij ʒ j. per ſe, aut cum modico aquæ ſcabioſæ, vngulæ caballinæ, vino albo, tenui, veteri, plurimum conuenit. Theriaca.

℞ ſtyracis pinguis, terebinthinæ ana ℈ iiij. ſpicæ ℈ j. cum melle deſpumato, fiat electuarium.

SED interim dum hæc fiunt, thorax fricandus eſt, atque inungendus oleo amydgalarum dulcium, chamæmelino, anethino, de cheiri, id eſt, de violis luteis, iaſmino, de lilio, laurino, Topica.

irino,coſtino,de ſpica,ordine ducto à leuioribus. Aut poterit ex his linimentum fieri,cum æquali parte mucilaginis ſeminis lini,althææ, fœnugræci, & ceræ quantum ſatis eſt : gratia exempli.

℞ olei iaſmini ℥ j. ſ. mucilaginis ſeminis althææ ℥ j. mucil.ſem.fœnugræci extractæ in aqua ſcabioſæ ℥ ſ.cum cera quantum ſatis,fiat linimentum pro thorace. Poſt vnctionem lana molli, coto aut lana ſordida thorax contegendus eſt.

In ſuffocationis periculo.

IN periculo ſuffocationis & nimis oppreſſo ſpiritu, cucurbitulæ ſcapulis affigendæ & cruribus, dandumque vt ore contineat, aquæ hordei ℥ iij.ſacchari ℥ j.croci gr.iiij.

℞ ſalis ammoniaci, ſeminis naſturtij, pulmonis vulpis ana ʒ j.croci gr.iiij. diſſolue in iu lep.viol. ℥ iiij.pro duabus doſibus. Tumq; frictiones & vincula extremorum conueniunt, & ea quæ in angina dicta ſunt.

Deſiccãtia.

DEſiccandum iam bene purgato corpore & thorace hoc modo.

Suffumigium.

℞ ſtyracis, maſticis, terebinthinæ, arſenici rubri ana ℈ iiij. concorporentur in vitello oui, deinde cum hoc medicamento, fruſtula ligni iuniperi illinantur, poſtea ſiccentur, è ſiccatis fiat ſuffumigium,quod per tubulum ore excipiat. Similiter fiat ex ſulphuris viui,

& arſe-

& arsenici rubri pari pondere. In debilioribus arsenico abstinendum est, vtemurque solo sulphure incorporato in terebinthina, styrace, mastice.

IAM bene procedente morbo, cucurbitulis sub mammis, sed breui mora vtendum est, vt tantum attrahant, non etiam discutiant. Similiter dropaces, sinapismi, phœnigmi, exulcerantia, thoraci aptanda sunt.

EXtremum est cauterium in medio pectore. Crudelius est auxilium vstionis quod ab Aetio describitur, capite de Asthmate. Cauteria.

IN vigilijs dabis ʒ ſ. philonij, quod etiam anhelitum iuuabit. In siti vehementi aqua hordei cum saccharo vtendum: iulep violarum, liquiritia ore contenta conueniunt. Philonium.

DE PLEVRITIDE
Caput XXI.

PLeurisis dolor est lateris acutus, pungens, cui asidua febris, difficultas spiritus coniuncta sunt, pulsus durus & serratus, supinus ferè decubitus. Nam in latus sanum conuersis, tumor suspenditur, atque ita distenditur membrana, quæ patitur, ideoque asperatur dolor. Vbi verò ægro lateri incumbunt, ex eo quod subiecto corpore supprimitur, ampliatur doloris sensus, fusa latius materia, tum

quia pulmo lateri affecto innititur. Hic tamen decubitus altero tolerabilior est. Optimus autem qui in Asthmate præscriptus est. Noctu ferè exacerbatur dolor ac diebus imparibus.

Causæ. AB exercitio, frigidus potus, vini intemperantia, inspiratio gelida & aquilonia, multo magis si præcessit auster, ac derepente succedit frigus, venena interim, concussio etiam externa, huic malo occasio esse consueuerunt. Materia ferè biliosa aut sanguinea, quam partim ex sputis, partim alijs excretionibus & antecedente vita conijcies. Raro pituitosa & melancholica. Interrogandusque æger est, num suppressa sit solennis aliqua purgatio, vt in mulieribus menses: in viris hæmorrhois, aut anniuersarium profluuium, aut alioqui statum certis interuallis ex aluo, naribus, vlceribus. Ex ijs enim vitium lateri contrahi potest, quibus ea pars infirma est, quæ etiam hyeme ideò facilius patitur, quod infirmatur frigore: frigus enim omnibus partibus thoracis inimicissimum est.

Pleuritis ab alijs morbis distinguenda. HOC modo igitur methodum distiguendæ pleuritidis instituito. Quibusdam corporibus à natura datum est, vt hepar fibris quibusdam costis inferioribus copuletur. Itaque cum laborant hepate, imago pleuritidis repræsentatur. Alijs materia quędam crassa & viscida in mem-

membranis pectoris colligitur, toto etiã thorace, vnde etiam dolor grauis, dyspnœa, tussis & ficta pleuritis. Nam nec pungit dolor, nec febris incenditur, vt nec si flatus membranis aut intercostalibus musculis impactus est. Aliquando etiam musculi inflammantur, sed pulsus hic alius, nempe mollis, dolor grauis est, non pungens, & omnia ferè leuiora sunt. Membranæ quoque thoracem distinguentes si inflammentur, par negotium vitæ faciunt, atq; verus lateris dolor. Sæpe etiam inferioribus costis inflammatis, diaphragma atque hinc stomachus grauiter laborat, magno periculo. Morbus hic proximo vere plurimos & eos maximè, qui vel temere vel negligenter curati sunt, sustulit. Omnia ergo hac ratione distinguẽda sunt, vt etiam vniuersalia morbi tempora, è sputis maxime, tũ vrinis, alui excretionibus, & alijs, de quibus Aphorismo 12. lib. 1. & lib. 2. Prognost. & 1. de crisibus. Ex ijs enim tempora distingues, tempusq; euentumq; crisis pronuntiabis, meliusq; auxilia institues.

VITAE ratio methodo illa vniuersali, quæ ab Hippocrate 1. Aphoris. indicatur, æstimanda, nunc etiam consuetudo adijcienda, cum ægri inediam non ferant, & alijs ciborum potusque generibus assueti sunt. Initio aqua hordei, ex hordeo pulticula, principijs liquidior, Victus ratio.

post etiam crassior, ac deinceps mixtis amygdalis, tum amygdalogala, post etiam eadem ex pullorum iusculis dissoluta, tenellæ pullorum carnes, intrita madida, quæ & infriatas carnes & syntrimmata appelles licet, vulgo collyria et colatilia iuscula. Præter hæc vulgi expressiones, tortiua iura, atque his omnibus liquidiora, instauratitia, distillata, quæ ad προπομάτων ἐδέσμων καὶ ὠφελίμων genus referre potes. Hęc autem defectis viribus, vt mos est. Non integra virtute nutries tenuius.

Syntrimmata.

Syntrimmata ergo è pulpis galli decrepiti, postquam longa decoctione remollіueris, & exactè infriaueris, conficies, atque eo iure, in quo gallus coxerit, dissolues: alioqui id quod conficitur à natura, melius ex assis pulpis, quę alis copulantur, & sub his positæ sunt. In capis, perdicibus & iuuenibus gallinis, detrahendum lardum est prius, quàm infriantur, atque dum assantur, aqua violarum, scabiosæ, borraginis conspergi possunt.

Tortiua iura.

Tortiua iura ex eodem modo assis capis, perdicibus, & cęteris succulentis, ideoq; prius quàm legitimè coctæ carnes sint, etiam dum succosæ, pręlo bene mundo supprimantur, sed & exossari prius melius est, deinde ita contorqueri, vt vberem succum reddant, qui interim hiosaccharo, id est, saccharo viol. dulcorari possit. In-

sit. Instaurantia hac formula conuenient.

℞ conseruæ borraginis, violarum, capillo veneris ana ℥ j. conseruæ enulæ ℥ ſ. diamargariti frigidi, diatriasantali ana ℥ ſ. quatuor seminum frigidorum excorticatorum, seminis limonum, cardui, bombacis ana ʒ ij. aquarum destillatarum è violis, scabiosa, borragine, buglossa, vngula caballina ana ℥ iiij. aquæ decoctionis galli decrepiti, alterati cum borraginis, buglossæ, calendulę & modico hyssopi ℔. iiij. cum carnibus vnius capi iuuenis bene carnosi, & mica panis, fiat distillatio in alembico secundum artem. Restauratio destillata.

℞ supradictæ distillationis ℔. ſ. cum sacchari violac. ℥ j. ſ. & ℈ j. cinnamomi, coletur per manicam Hippocratis. Minori sumptu gallus decrepitus ad putrilaginem coquitur cum vitulina, expreſsio fortis cum iusculo, desorbetur, cuius alimenti vim maiorem æstimant, si cum nummis aureis, aliquando etiam gemmis, nodulo inclusis, & inditis ventri galli. Prę terea vocata gelatina cōcreto succo carnium, vires fouendæ sunt.

Permulti pleuritici vinum appetunt, quo tamen interdicendum est, nisi virtute collabente, animi deliquium metuatur, tumq; buccella panis in vino tenui & modico aquæ violarum immergatur, sæpius naribus admouea- Vinum.

tur,aut fugatur,interuallis. Acida, astringentia, quæ refrigerant vehementius aut calefaciunt,vitanda sunt.

Decubitus. Loco lucido, mediocriter elato,molli culcitra,capite ac thorace eleuato,collocãdi sunt: qui si decidunt in pedes, lignum aliquod aut aliud corpus pedibus obijcitur, vt in ea figura persistant.

Curatio. HAEC vbi ita fuerint prouisa,statim initio de maioribus remedijs cogitandum est. Maiora remedia sunt purgatio & phlebotomia.

Euacuatio per medicamenta. Si subsistit aluus clyster mollis inijci debet, in quo ʒ vj.aut ℥ ſ.cassiæ dissoluatur:purgatio interim satis esse potest,nec perpetuo phlebotomia opus est. Placuit enim Hippocrati cum dolor ad hypochondrium inclinaret, vt pharmaco potius, quàm phlebotomo vteremur: Pharmaca vero præcipua credidit elleborum nigrum, aut peplium. Galenus vero hieram diacolocynthidos, quæ elleborum, non scammonium recipit. Posteritas Medicorum leuioribus inuentis, veterum pharmaca reliquit: Leuissimum ac plurimum vsitatum cassia,datur hæc ad ℥ j. ſ.ʒ x. ℥ j.ʒ vj. eaque dissoluenda est aqua hordei,sero lactis,passularum,liquiritiæ,eiusmodique pectoralium rerum decocto; vel cum saccharo in bolum cogenda est. Datur enim,sed ferè aucto morbo mel aereum,id est,man-

est manna. Vbi verò obstructionis coniectura est in primis venis, Rhabarbari ℥ ij. vel ℥ j. in aqua hordei, endiuiæ aut similium infunduntur, & cum modico cinnamomi fit potus. Neque metuenda eius astrictio est. Nam & masti ches ℥ iij. fouendo ventri pleuriticorum veteres imperarunt, alternis diebus, maxime paribus, in quibus ferè quies est, aut leuior morbus. Clyster mollis inijci debet, si non descendit aluus, alioqui, quod vtilius est casiæ ℥ ß. aut ℥ vj. in bollũ cum saccharo cogendę sunt, dandæque vel mane vel vesperi, horę dimidio ante cibum. Consilium vsus pharmaci augebit, si dolor leuius est, si natura ægri non ita ὕσαρκος, aut aliena opinio à phlebotomo: alioqui si grande malum est, etiam si ad hypochondrium declinet dolor, tutius auxilium phlebotomia est Galeno. Prius etiam quàm de pharmaco decernas, interroganda ægri natura est. Alij enim difficilius purgantur, alijs vel leui pharmaco immodicè turbatur aluus: ij ergo à phlebotomo habere commodius possunt. Quod si incognita ægri natura est, & pharmaco vti decet, medicamentum eligas tum quantitate tum qualitate medium, ne vel non purges, vel supra modũ euacues. Tempestiua purgatio turgente materia, prima die, aut non vltra secundam. Nec omnino agarico, aut hiera Mastix.

diacolocynthidos iuterducitur, quin vti licet dolore in ventrem declinante, non ita vehementi affectione, atq; vbi à pituita malum est. Imperabis ergo catholici ʒ v j. Rhabarbari & agarici infusorum, vt decet, ana ʒ ij. cum hydromelite quantum satis sit, fiat potus. Eodē modo & catholici ℈ iiij. pulueris diacolocynthidos cōmisceri possunt. Diaphœnicū quoq; & diaprunum pauperibus imperari possunt.

Venæ sectio.

PHLEbotomia remissionis tempore, & eo die, quo leuior est paroxysmus, cōmodior est. Itaque etiam vesperi & nocte media, vrgente malo, & oblata occasione sanguinem detrahes: nec perpetuo semel illis ducendus est. Nam suspectis viribus vacuationem partiri melius est, vt mane ℥ vj. vesperi ℥ vj. deplean tur. Est præterea cum derepente fit noua affluxio, vt inde omnia symptomata recrudescant, sputa quoq; vel cruda sint vel retineantur, tumque & sexto die & octauo, vt Anaxioni, aut etiam tardius sanguinem mittimus. Hocque remedium secundo, ac tertio reuoca mus, si quidem non repugnant vires, in quo tamen cautio esse debet. Nam aliquando vbi antea, signa omnia salutem pronunciauerint, crisis tempore, quæ ferè fit ad septimum, decimumquartum aut alium diem criticum, vehementer pleuritis exacerbatur, symptomata om-

ta omnia increſcunt: tum nihil mouendũ eſt, ſed omnia naturæ committenda ſunt. Deſperatis rebus, nihil quoque mouendum eſt.

Venæ ſectio pueris & ſenibus non omnino interdicitur.

IN pueris etiam bimis, ſenibus octogenarijs, mulieribus grauidis, remediũ hoc temperari debet, non omnino prohiberi. In pueris venæ interim anguſtiores non apparent, idq́ue magis in pinguiuſculis, qua in re ſanguiſugis vti licet, decurtata harũ corda vt vacuationis modus certò finiatur. Suppreſſa aliqua per partes inferiores vacuatione, vbi malum inde ortum eſt, in inſigni plenitudine, in materia virulenta, cumq́ue ſtatim initio materia in caput rapitur, ac mentem commouet, è venis cruris eiuſdem lateris, ſanguis trahẽdus eſt, alioqui è baſilica eiuſdem lateris. Vacuationis modus è pulſu, ſanguinis motu, colore & corpore præſcribendus eſt. Si initio purus & rubeus effluit, vacuationis modus eſt, cum iam liuidus excernitur. Si aquoſus initio & crudus, claudenda vena eſt, cum iam rubẽtior & flauior apparebit. Si baſilica non apparet, media vulneretur, atque cum iam vulnerata eſt, pollex ramo cephalicæ imprimatur. Animaduentendum pleuriticos iuuari phlebotomia locis perflatis ab aquilonibus, lædi vero regionibus quæ obuertuntur auſtris. Hic ergo vel purgatione vtendũ eſt, vel temperan-

da sanguinis detractio. In biliosa pleuritide Arabes plebotomia interdicunt. Hippocrates quoque hac sententia prohibuisse visus est: Sanguinem (inquit) non detrahes, vbi expuitur sanguis, si regio repugnat, si æger pleuriticus est, si natura eius admodum biliosa. Galenus Hippocratis sententiam recipit, nisi quòd non probat, sanguinem non detrahi, spuentibus sanguinem pleuriticis.

Fomenta. HIPpocrates prius quàm veniat ad maiora remedia, fomentis vtitur, quæ aliquando satis esse possunt, aliquando morbum iudicant.

Pleuritis biliosa. Itaque si sputa biliosa, vesica suilla ex aqua calida ad diminium implenda est, admouendaque lateri, alioqui cotum vel lana mollis infusa in aqua tepida, expressa, subinde admoueatur lateri. In ea aqua, si vis, incoques violas, melilotum, chamæmælum, fouebis quoque oleo violarum & chamæmælino. Si crassa & viscida sputa sunt.

Pleuritis phlegmatica. ℞ millij frixi M j. furfuris frixi p. ij. salis torrefacti ℥ j. Interim dum friguntur, vino tenui conspergi possunt, & si perfrixerit latus, aqua vitæ, vel hyssopi, aceto etiam, si corpus carnosum est & calidum, neque vehementer vrgeat tussis. Inde fiunt sacculi, qui calidi lateri applicantur. Possunt hi sacculi in vino aut aceto immergi in quibus vel hyssopum

vel

vel origanum, vel thymum, aut aliquid tale co xeris. Inunges tum ex anethino & rutaceo. Eiusmodi sacculis quoque cumini semen, baccæ lauri, sicca hyssopus, origanum, rosmarinum, & similia misceri possunt. In tenui & cruento sputo, sacculus ex milio, furfure & sale descriptus, sed siccus & calefactus applicari debet. Inunctio ex chamæmælino, ex amygdalino. Oportet autem omnia quæ lateri admouentur, esse tenuia, mollia, calida, videndumque ne quæ calida admota sint, tempore refrigescant, calorq; linteis calentibus, aut alia arte fouendus est.

SVNT qui nullis eiusmodi remedijs vsi neq; maioribus illis auxilijs, certas antidotos commendant, quales sunt: Dens apri in scobem comminuitur, dantur ʒ ij. ex vino albo tenui. Aliud Radicis lappæ siccæ, quæ purpureum colorem gerit, aut floris eius ʒ ij. è mulsa propinantur. Aliud. Coralli rubri & testæ auellanarum rubrarum ana ʒ j. datur è mulsa. Possunt hæc quidem tẽtari, nõ neglectis alijs remedijs. Cucurbitularũ in pleuritide plurimus vsus est, de quo in libro de cucurbitulis. Curatio per antidota.

VTImur quoque plurmum aqua hordei, aqua sacchari, syrupo violarum, de iuiubis, oxymelite, hydromelite, decocto pectorali, syrupo capillorum veneris & de liquiritia.

Aqua hordei pro uario scopo paranda.

Aqua hordei si quidem detergendum est & sitcandum, ex integro hordeo parari debet Si leniendum, si extinguenda sitis est, fricanda asperiore linteo & deglubenda est. Si nutriendum magis, proportio hordei ad aquá augenda est, magisque coquendum est, dum diffringatur hordeum. Ferè parant aquam hordei, vt sit aqua vigecupla, sæpe etiam quartam partẽ syrupi violarum commiscent, aut modicum sacchari violarum, vel, vt in ptisana vulgari, liquiritiam rasam concoquunt.

Aqua sacchari.

Aqua sacchari deterget, coquit, lenit, nutrit. Sit autem sacchari ℥ j. in xx. partibus aquæ, coquantur ad dimidium. Posit tamen sacchari modus augeri, vt etiam aliquando sub quadruplum saccharum sit, quale hoc est.

℞ aquæ coctæ, vel aquæ hordei ℔. j. sacchari communis, vel violati ℥ iij. atque aliquando colatur aqua illa cùm dicto saccharo & modico cinnamomi, cũ videlicet nutriendum magis, coquendum, detergendum, repurgandum, & roborandum.

Syrupus uiolaceus.

Iulepi violarum vsus est, vt leniamus sitim & calorem temperemus, leuiter concoquamus, & facilius sputum reddamus.

Syr. de iuiubis.

Syrupus de iuiubis, lenit, maturat, temperatus est. Conuenit quoque vt violatus incrassando sputo.

Oxyme-

Oxymelitis ſuſpectus vſus eſt in pueris, macilentis, ijs quibus neruoſum genus infirmum eſt, quibus aſperior tuſsis, vigiliæ maiores, ſputa quoq; tam craſſa, vt prope ſicca ſint, ſimiliter & ſi æger debilior eſt. Tempeſtiuus autem vſus fuerit, ſi nihil horum repugnat, ſi fluxio tenuis non eſt, ſi ſputa mediocriter craſſa, hoc eſt, non ita reſiccata. Oxymel.

Hydromelite, vt aqua ſacchari, vtendum eſt, niſi quòd calefacit magis, & omnino maiori vi præditum eſt. Hydromel

Decoctione pectorali ad ſitim, ad concoquendum, leuiter detergendum & incidendum vti licet. Decoctum pectorale.

Syrupus capillorum veneris incidit, deterget ſine manifeſto calore. Syr. capill. ueneris.

Syrupus de liquiritia, ad omnia ſupradicta vtilis, & pectus roborat. Itaque vt poſtulabit vſus, modo his, modo illis vtendum eſt, Veteribus quoque melicrata probata ſunt, ex aqua in qua radix violæ purpureæ, ſtœchas, chamædrys, chamæpytis, horum vnum coxerit. Atque initio ſupprimendæ fluxioni ſuffitu vtuntur, Syr. de liquiritia.

℞ vernicis ℥ j. maſticis, roſarum ana ʒ ij. fiat puluis pro ſuffitu cum ſtupis canabinis. Item. Suffitus.

℞ diatragacanthi frigidi ℥ ſ. teneat alter-

natim in ore. Plura in cap. de catarrho.

Concoquentia. IN coquẽdo vero quod influxit, vtendum est, lacte amygdalino, butyro per se, coquit enim, lenit, modicè educit: poteritque modicũ sacchari violarũ immisceri, vt paulò plenius educas, postea verò aliquid mellis, ita magis repurgabis, magis etiam, si ad ℥ ij. butyri, ℈ ij. diaireos simplicis admisceas, vel amygdalas amaras, persicorum nucleos, aut similia amara torrefacta, & in puluerẽ redacta. Butyro quoq; quarta pars terebinthinæ lotæ in aqua maluæ cõmisceri potest. Parabilia quoq; remedia sunt, melicrata, in quibus radix altheææ coquendo, hyssopus, thymum & similia incidendo, & repurgando, coxerint.

Looch. In eandem rem comparãt looch, initio quidem cum multo diatragacantho, postea verò cum multo diaireos: fereq; in remedijs pleuriticis lenientia, detergentia, incidentia repurgantia commiscentur: quale hoc est.

℞ Electuarij diatragacanthi frigidi ℥ j. sacchari candi, penidiarum, pilularum albarum ana ʒ iij. diaireos ſ. ʒ. ij. syrupi violarum & iuiubarum ana quantum satis est, fiat looch. Vbi verò magis repurgandũ & extenuãdum, augebimus electuarium diaireos, minuemus diatragacanthum. Loco penidiarũ, mel albũ: loco syruporum prædictorũ, syrupum capil-

lorum

lorum veneris, & aliquid oxymelitis miſcebimus. Iam victo morbo, ad hos vſus, vinum album tenue & aquoſum concedi poteſt.

IN unctiones lateris fiunt ex oleo violato & alijs, vt prędictum eſt, oleo de cheiri, de lilio, mucilagine ſeminis cydoniorum, althææ, lini, fœnugręci, extractis in aqua violarum, vngulæ caballinæ, ſcabioſæ, hyſſopi, butyro, ſordibus lanarum, terebinthina, axungia gallinę, anſeris, anatis, ſuis, & quæ plurimum laudatur, vrſi. Addũtur pulueres, iridis, thymi, hyſſopi, marrubij, gentianæ, ſinapi, cinis braſſicæ & ſarmentorum vitis, non initio quidem, ſed iam progreſſo morbo. Sic enim ferè poſteriorum Medicorum vſus eſt. Veteres autem vehementioribus remedijs vſi ſunt. Latus lanà ſordida leniente & concoquente integitur. Poſtea etiam in fine morbi, lana ſulphurata. Formulæ ſunt. Vnctiones pectoris.

℞ olei violat. amygdalarũ dulcium ana ℥ ſ. miſce, cui adde poſt initia, mucilaginis ſeminis cydoniorum ex corticatorum ʒ vj. mucilaginis ſeminis lini ℥ ſ. ceræ modicum, fiat linimentum pro latere. Poſtea etiam.

℞ mucil. ſem. althææ & cydoniorum ana ʒ vj. mucilaginis ſem. lini & fœnugræci ana ℥ ſ. olei cheiri, adipis vrſi ana ʒ iij. œſypi ℥ ij. ceræ modicum, fiat linimentum. Aliud.

℞ dialthææ ℥ ij. cum oleo amygdalarũ dulcium,fiat vngnentum molle, atq; vbi iam resoluendum est,adde pulueris ireos aut similis ʒ ij. Tumq; bonum fuerit folium brassicæ ad ignem calefactum & butyro illitum,superponere lateri, atq; vbi ad suppurationẽ vergit semen nasturtij & sinapi cerato commisceri possunt,quo tempore.

℞ radicis althææ & liliorum repurgatorũ ana ℥ j. ficus pingues numero duas. Coquantur omnia in vino albo, deinde cum axungia & oleo de lilijs,pistentur in mortario,fiat emplastrum molle, cui insperge seminis nasturtij & sinapi in puluerem redacti ana ʒ j.

Cauteriũ. TENtatis omnibus ijs remedijs,siquidem desperatio est & vires tolerare possunt, cauteriũ actuale aut potẽtiale,quod vocãt,lateri inferendũ est. Scarificatio quoq; cũ cucurbitula eo modo, quo in lib.de cucurbitula dictũ est. Scarificatio.

DE SANGVINIS SPVTO.
Caput XXII.

Sanguis è thorace. SAnguis expuitur à thoracis venis, niger, grumosus,fœtidus,cum doloris sensu.

A pulmonibus. A pulmonibus flauus, tenuis, spumosus, sine doloris sensu:atque hinc rupta,exesa, aut aperta vena. Rupta,affatim erumpit,à clamore,casu,concussione pectoris,perfrictione,plenitudi- Causæ & signa.

nitudine. Plenitudo verò ex ratione vitæ, suppressis mensibus, aut solenni aliqua vacuatione. Exesis, sensim & per interualla ab humore acri, quem vel caput demittit, vel ratio vitæ, aliquando etiam inedia collegit. Apertis, ex calidiore & humidiore ratione vitæ. Ruptis, glutinantia, quæ citra morsum siccant. Exesis, cibi boni succis & pharmaca sarcotica. Apertis, astringentia conueniunt.

Expuitur sanguis ab arteria aspera, tumq́; dolor sentitur, omnino paucus sanguis expuitur ex faucibus & ore cum screatione non tussi. Tussis enim excitatur cum ab arteria, pulmone, thorace, sanguis excernitur, ex gingiuis, tantum leui sputatione eijcitur. Ab arteria aspera.

Alijs à capite defluit non adeo paucus, niger, leuis, linguam & palatum commaculans, titillans, ad nares grumos relinquens, ex vulnere, frigore, ebrietate, & capitis plenitudine, Qui si parte aliqua in arteriam defluit, tusses excitat leues, facileq́ue gargarismis astringentibus supprimitur. A capite.

Sanguis quoque aliquando euomitur è ventre, liene, hepate, proximisq́ue venis, niger, grumosus, multus. E stomacho vero, aut œsophago admodum exiguus reijcitur. Hæc omnia igitur, prius quàm remedia instituas, distinguenda sunt. Sanguinis uomitus.

Curatio. SI sputũ sanguinis ex pulmonibus venerit, inedia, silentium, leuis respiratio, veneris & vini abstinentia, quies tum animi tum corporis imperanda sunt. medicatis alimẽtis vtendum est, quæ morbo conueniant. Si à capite deflu-xio est, supprimenda ex ijs, quæ capite de catarrho dicta sunt. Componenda tussis, quæ vexat grauius. Sanguis, viribus integris ex interna brachij, angusto vulnerere, modica quantitate, sed bis aut ter vna die, aut duobus, detrahi debet. Si plenitudo in causa est, largius. Si suppressis mensibus, vena cruris aperiẽda est, & alijs artibus mẽses irritandi. Inijcienda vincula coxis & brachijs, ad articulos, & in ijsdẽ locis adhibenda frictio. Cucurbitulæ hypochondrijs, ilibus atque inguinibus affigendæ, sanguisugæ in pectore aptandæ sunt.

Sanguinis missio.

Medicamentorũ sylua.

TVM remedijs quæ intro assumuntur & topicis vtendum est. Comparantur illa ex astringentibus, portulaca, plantagine, polygono, omphacio, sumach, galla, cortice glandium, radice rubi, consolidæ, althææ, centaurij maioris, hæmatite, electro, coralla, balaustijs, rosis, bolo armeno, terra sigillata, sanguine draconis, gummi arabico, tragacantha, thure, mastice, myrrha, melle cocto. Hæc postrema ruptis magis conueniunt, vt illa apertis. Oportet autem vitare omnino quæ nimiũ

astrin-

aſtringunt, propterea medicamenta hæc ex glutinantibus, aſtringentibuſque mixtis com ponuntur, vt ſi aperta vena eſt, aſtringentia: ſi rupta, glutinantia ſuperent. Sed quia horum vis non facilè penetrat, neceſſe eſt aliquid admiſcere eorum, quæ tenuium ſunt partium, qualia ſunt aromata, ſpica, cinnamomũ, ſantali, doronicum & ſimilia. Atq; vbi immodicè perturbat tuſsis, etiam narcotica miſceri debent, opium, ſemen papaueris albi, hyoſciami albi & cicutæ, cortex radicis mandragoræ, philonium, theriaca vnius anni.

XENO crates apud Galenum hœdi ſanguinem nondum concretum, cum pari menſura aceti elixabat, dabatque tribus deinceps diebus, doſis ℥ iij. Sangu: hœdi.

Frequens vſus antiquis, maximè initio atque vbi grumorum ſuſpicio, oxycrati diluti, hoc eſt, aceti ita commixti aquæ, vt bibi poſſit. Acetum quoque in vſu fuit, ſed animaduertenda ſunt, quæ de oxymelite proximo capite annotauimus. Oxycrati.

Coagulum cerui, hœdi, leporis, Græcis & Arabibus hac in re commendantur, quod mirum eſſe poſsit, cum natura ſunt acri, dirigente & exiccante. Auerrhoes & Arabum familia, parte aliqua refrigerare, aſtringere, & reprimere ſcribunt, aut elementari qualitate aut Coagula:

proprietate quadam. Certum est experimento, quod & Dioscorides scripsit, & in lacte probari potest: dissoluta coagulare, coagulata dissoluere. Deinde modica quãtitate exhibetur. & ex ijs quæ vim acrimoniæ refringant. Dosis ciceris magnitudo ex oxymelite vel posca, si grumi dissoluendi sunt: aliòqui ex aqua ferrata, plantaginis, & similibus.

Potus. ℞ coralli rubri torrefacti & in aceto extincti, terræ sigillatæ ana ʒ s. spicæ ℈ s. cum ℥ ij. succi portulacæ, aut polygoni, vini granatorum, lactis vstulati, fiat potus. Aliud.

Destillatũ. ℞ carnium limacum coctarum in vino austero, & aqua plantaginis ℔. ij. conseruæ consolidæ maioris & rosarum ana ℔. j. cum decoctione limacum, fiat distillatio in alembico.

Restaurantia. ℞ supradicti distillati ℔ j. coletur per manicam Hippocr. cũ sacchari rosati dissoluti in aqua plantaginis ℥ ij. santali spicæ ana ℈ s.

VBI viribus metuitur expresſionibus vtendum est, è perdicibus, turturibus, quarum ventres astringente materia farciantur, aut distillata hoc modo imperanda sunt.

Distillatũ. ℞ Conseruæ rosarum, cornorum, symphyti, ana ℥ ij. electuarij diarrhodon Abbatis, diamargaritonis frigidi, diatrium santali, aromatici rosa. ana ʒ ij. spicæ, cornu cerui, coralli rubri puluerisatorum, ana ʒ j. s. trochiscorum

de

de terra sigillata, de carabe, de spodio, ana ℈ iiij. seminis acetosæ, portulacæ, plantaginis ana ʒ j. aquarum portulacæ, ros. plantaginis, vini granatorum ana ℥ iiij. decoctionis duarũ turturum & vnius perdicis ℔. iiij. cum mica panis albissimi, infusi in vino granatorum, & carnibus vnius capi, fiat distillatio, coletur per manicam Hippocratis, vt prius.

℞ testarũ oui detracta mẽbrana interiore ʒ ij. pulueri zẽtur, dẽtur cum aquę plang. ℥ iij.

℞ succi saluiæ ℥ ij. sacchari ros. ℥. ſ. detur ieiunis. ℞ gummi Arabici, rragacanthi assi, boli armeni, ana ℈ j. coralli torrefacti, cinnamomi ana ℈ ſ. ex lacte cocto. Eodem modo succus ex supradicta materia ad ℥ ij. aut iij. per se exhiberi possunt, poteritq; inspergi ʒ j. eorum quæ comminuni possunt, aut decoquuntur in aqua pluuiali, in lacte, aut aqua ferrata, vel simili. Similiter hordeata, lac amygdalinum ex eiusmodi liquoribus parari debent, ijdemq; pulueres inspergi possunt.

ADMouenda thoraci, non quæ astringũt vehementer, horum enim vis ad pulmonem non penetrat, cogitque sanguinem in pulmones. Sed iam vacuata copia, sedato motu, vinum astringens cum oleo rosarum, myrtino, cydoniorum: hyeme etiam nardinũ conuenit, cum lana sordida in eo madefacta & ap- Topica.

pressa pectori. Loco vini, aceti vsus est æstate, bene carnoso corpore, robusto genere neruoso, nec vrgenti tussi.

Cataplasma. E thure, terra sigillata, bolo ac oui albumine incorporatis catablasmata fiunt adiungenda thoraci, adiunguntur que post vsum lanæ sordidæ prædictæ. Quod si malum ex perfrictione ortum est, tapsia, sinapi, & quæ ex his conficiuntur medicaméta, ex vsu sunt. Oportet autem hæc sinere, dum calor medicamenti penetret.

Philonium IN grauiore tussi, philonij aliquid imperamus, quod aliter Græcis aliter Arabibus describitur. Philonium Græcorum.

℞ piperis albi ʒ xx. opij ʒ x. croci ʒ v. semin. hyoscyami albi ʒ xx. spicæ nardi, euphorbij pyrethri ana ʒ j. excipiantur melle cocto. Philonium Arabum.

℞ papaueris albi, seminis hyosciami ana ʒ xx. opij, terræ sigillatæ ana ʒ x. hæmatitis lapidis, croci ana ʒ v. castorei, spicæ, euphorbij, pyrethri, margaritarũ non perforatarum, carabe, zedoariæ, doronici, galliæ moscatæ ana ʒ j. camphoræ ℈ j. cum melle rosato colato incorporentur. Dosis est, à ʒ ſ. ad ʒ j. cum succo arnoglossæ, aut vino diluto modico aqua rosarum. Meminisse tamen oportet, nunquam vtendum esse eiusmodi narcoticis recens

tens paratis, sed semestre spatium expectandum esse, aut eo plus. Neque statim ijs vtendum est, sed tentatis prius leuioribus remedijs, & vbi natura robusta est. Multa ex 5. Methodi colligenda sunt, quæ ad sputum sanguinis pertinent.

DE PHTHISI.
Caput XXIII.

PHthisis vlcus est pulmonis, quod ferè sputum sanguinis sequitur, aut tussiculam ex acriore defluxione, aliquando etiam ruptos abscessus thoracis, cùm videlicet effuso pure in spatium thoracis atq; ita putrescente, nec in tempore repurgato, pulmones exulcerantur. Signa phthisis, tũ ex alijs tum ex Hippocrate, & Galeno aphorismo 60. lib. 2. Prognosticorum: & cap. 14. lib. 2. Chronicorum Aureliani. Phthisim sequitur totius corporis languor atque extenuatio, curuantur vngues, cauantur oculi, succedit mortifera illa facies, de qua Hippocrates, capilli defluunt, & sequitur alui profluuium, & mors. Signa.

HOC malum, vt incurabile, maxima pars veterum, in nulla spe habuerunt. Itaque initio detergendum vlcus atque resiccandum. Vbi iam satis detersum est, atque iam nihil saniosum repurgatur, glutinare oportet. Sed docti Curatio.

hæc fiunt, extenuatio corporis inſtauranda eſt. Vtemur ergo mulſa initio ex aquæ potabilis ℔.j.mellis ℥ j.ſ.Per omnia vbi detergendum, melle crudo vtendum eſt: vbi glutinandum melle cocto. Poſtea verò fœnugræci loti, ſubinde abiecta priore aqua, decoctione vtimur, in qua octaua pars vel ſacchari in calidiore conditione, vel alioqui mellis, diſſoluitur. Similiter è fricto lini ſemine, è ciceribus rubris, è nuce pinea reſinoſa, ex iride illyrica, ariſtolochia, porro, & ſimilibus deſcriptis in cap. de Aſthmate, alioqui cum quadruplo melle ec clegmata fiant, tritis atque in puluerem redactis, quæ poſſunt comminui.

Mel.

Ecclegmata.

Cicer rubrum in aqua madeat, atq; ita tumebit, tum ſiccari debet, torrefieri in latere calente, teri ſubtiliſsimè. Eius pulueris ʒ ij. inſparguntur mulſæ aut incorporantur melle.

Marrubiũ.

Marrubij M. j. decoquitur in ℔. vj. aquæ ad dimidias, colaturæ addi debet ℔. j. mellis plus minúsue, idq; totum decoquitur ad craſſitudinem.

E ſucci marrubij ℥ ij. ſucci caulium, ſcyllæ, hyſſopi & ſimilium & mellis ℔. j. coctis ecclegmata f. quorum vim augeri volunt, ſi ʒ ij. pulmonis vulpis, ad ℥ j. ecclegmatis admiſceas.

Nux pinea.

Nucem pineam reſinoſam, cum ℥ j. liquiritiæ de-

tiæ decoques in ℔ vj. aquæ colaturæ addes penidiorum ℥ iiij. rurſus coques ad craſsitudinem: conuenit vbi tenuis ſputatio, cumque lenire & coquere oportet. Similiter è butyro, melle & terebinthina, duobus horum aut tribus mixtis. Varianda autem remedia eiuſdem generis, ne fiat ſatietas: diuerſi verò generis, cum mutantur indicationes.

Atque dum hæc fiunt, hordeatis cum ſaccharo aut melle, lacte amygdalino, vino albo, tenui & ſubdulci, lacte, alijsque rebus quæ vires refouent, vtendum eſt. Virium restauratio.

IAM purgato vlcere inſtauratis viribus, alimentis partim mediæ materiæ, partim reſiccantibus & glutinantibus vtendum eſt. Geſtatio mollis conuenit, aer ſiccus, balneum dulce, inunctio, theriaca, mithridatium, emplaſtra ſiccantia adiuncta pectori, dropaces atque etiam ſinapiſmi conueniunt. Bolus armenia, terra ſigillata & ſimilia imperanda ſunt. Hæc ferè placuerunt veteri medicinæ. Poſteritas Medicorum eadem obſeruauit; quædam etiam addidit. Lacte plurimum vſa eſt, aſinino & caprino, in ſumma ſeroſo cum detergendum eſt: vaccino, ouillo & muliebri cum refouendum eſt: vſtulato, vaccino aut etiam cũ aqua pluuiali cocto, cum glutinandum eſt. Itaque initio aſinino & caprino cum modico Lactis uſus

mellis, ne cogatur aut acescat in ventriculo, modico quoq; salis vtendum est. Refouentur vires lacte muliebri, quod exugat æger è mamma mulieris, alioqui vaccinum bibat recens mulctum, cũ modico sacchari. Hordeata quoque & lac amygdalarum ex lacte vel pullorum decocto, confici debent. Refouendis viribus lactis cremor cum multo saccharo, conuenit. Vbi glutinandum est.

Lactis præparatio ad glutinandũ

℞ lactis ℔. j. aquæ pluuialis, in qua rosæ maduerint ℥ iij. simul bulliant, subinde ferro candente aut calybe intincto: alioqui.

℞ lactis à quo butyrum extractum sit ℔. ſ. teneatur nocte vna sub dio, fortiter agitetur & despumetur, cui adde sacchari rosati ℥ ſ. boli armeni ℨ j. sæpe vtatur. Hoc modo igitur veteris lacte.

Saccharum rosaceum.

Saccharum rosatum maximè commendatur. Initijs, recenti: cum glutinandum est, veteri potius vtemur. Similiter conserua rosarum & syrupus rosarum. Conserua datur per se aut cum syrupo myrtillorum, aut aqua hordei, in qua cancri fluuiatiles coxerint.

Cancrorũ præparatio

Cancri crudi feruefacti prius in aqua & repurgati in quadruplo lacte vaccino, aut conuenienti, concoqui debent ad dimidias, deinde caudæ desquamatæ vel per se comeduntur vel integræ contundũtur, & inde succus in lac

in quo

in quo coxerint, exprimitur. Bibitur lac hoc, aut inde amygdalogala vel ordeatum comparatur, maximè vbi viribus consulendum est, tumque aliquando vitellum oui vnà dissoluimus. Coqui possunt ex aqua hordei. Testę verò cancrorum in fictili vase cremari debent, & glutinando asseruantur. Eodem modo limaces & testudines præparant. Verum oportet multò diligentius expurgari.

Pulmo vulpis in frustula diuiditur, abluitur ex vino, incoquitur leuiter in aqua rosarum, decocto sumach aut simili, tum rursus lauatur, siccatur, vsus tempore in puluerem redigitur ʒ ij. cum syrupo myrtillorum exhibentur, vel hoc modo: Pulmonis uulpis præparatio.

℞ pulueris pulmonis vulpis, capillorum veneris, seminis fœniculi ana ʒ ij. incorporentur cum succo liquiritię ʒ ij. mellis cocti, quantum satis est, cum affusione modici syrupi de myrtillis.

CONsolidant hæc: Caseus recens, lac vstulatum, testæ cancrorum, bolus armenia, terra sigillata, sanguis draconis, olibanum, mastix, carabe, gummi Arabicum, corallium, rosæ, balaustia, myrtus, & alia eiusmodi. Dantur ex vitellis ouorum, & alia quidem ex lacte vstulato, succo cydoniorum, rosarum, granatorum, syrupo myrtillorum, rosato de siccis. Est Consolidantia.

quoque hic Philonij persici vsus, quod proximè descripsimus.

Nutrientia

NVtriendum aliquando iure galli decrepiti, alterati cũ herbis, & cæteris rebus quæ conueniunt. Conueniunt fructus, ficus, vuæ passæ, pistacea, nuclei pinei, dactyli dulces, pyra cocta & saccharo consperfa, videndumq; maximè circa initia, ne nimium siccantibus vtamur: quibus cum volemus vti lenientibus cõmiscemus, aut multo liquore diluemus. Distillatum refouendis viribus conuenit.

Restaurans destillatũ.

℞ conferuę borraginis, violarum, rosarum ana ℥ j. ſ. conferuæ ireos, enulæ ana ℥ ſ. electuarij de gemmis sine speciebus, diarrhodon Abbatis, diatrium santalorum sine camphora, diamargaritonis frigidi ana ʒ ij. margaritarum perforatarum, coralli, ambræ citrinæ ana ʒ j. passularum, ficuum, sebesten, liquiritiæ ana ʒ vj. nucleorum pini, amygdalarum ana ℥ ſ. gummi tragacanthi, gummi Arabici, ana ʒ ij. seminis anisi, fœniculi, vrticæ, quatuor seminum frig. communium, seminis papaueris albi ana ʒ j. terræ sigillatæ, boli armeni, rosarum siccarum ana ʒ iij. aquarum pimpinellæ, vngulæ caballinæ ana ℥ iiij. decoct. limacum, cancrorum, duarum iuuenum gallinarum ana ℔. j. cum carnibus vnius capi iuuenis bene pinguis, vnius perdicis, mica panis in vino odorifero

rifero infusi & expressi. ℔. j. sacchari albissimi, fiat distillatio. Desperatos vrunt aut relegant ad mare.

DE PALPITATIONE CORdis. *Caput* XXIIII.

Παλμὸς quem formidinem cordis quidam veterum appellant, motus est præter naturam ab excretrice incitatus, cum id quod nocet aut nocere videtur, expellere contendit. Idipsum verò aliquando aqua est concepta in cordis panniculo præter modum aucta. Aliquando vapor quidam crassus cordi inclusus, aliâs etiam aliunde importatus, vt è matrice, ventre, & proximis visceribus. Interdum venenosus per arterias & venas illatus. Inflammatio quoque & tubercula, palpitationis esse causæ possunt, vt & intemperies. Quæ omnia ex cordis temperamento, totiusque corporis antecedente vita & alijs signis coniectura artificiali distingues. Causæ.

SI sanguinis copia in causa est, si aqua concepta panniculis, si inflammatio, aperienda est vena dextra basilica. Auicenna & Arabes dextram, si sanguis causa est: sinistram basilicam, si vapor, aperiunt. Sinistra quoque aperitur, si materia non ventriculis cordis, sed corpore concepta est. Quod si malunt ab inferioribus Curatio. Venæ sectio.

partibus inuehitur, aut inſignis plenitudo eſt, venæ crurum ſecari debent. Galen. 5. de Locis affect. omnes adiutos phlebotomia ſcribit, & extenuante victu, quibus cor palpitabat: id autem, quia veriſimile ſit vaporem eſſe craſſum, vnde cor palpitat.

Purgatio.

Neq; inutilis eſt purgatio, ſi cacochymum corpus eſt, ſiquidem ex vitioſa materia excitatus vapor, palpitationem inuehit. Quod ad reliqua attinet, diſtinguendum eſt, ſit ne cauſa frigida, an calida, vt inde ratio vitæ inſtituatur, quæ vim medicatam habeat & malum corrigat.

In[illegible] ca- l[illegible] quæ cō- [illegible]

MAteria itaque calida, ambra, ſtyrax, calamita, muſcus, lignum aloes, caryophylli, cinnamomum, cortex citri & citrangulorum, crocus, nux moſcata, macis, ſeminis maioranæ, baſilici, vinum aromaticum odoriferum, enula, fœniculum, petroſelinum galanga, zedoaria, amomum, cardamomum, cubebę, roſmarinum, menta, polium, calendula, theriaca, mithridatium, potio moſcata, electuarium lætificans Galeni, diambra, diamargaritum calidum, diarrhodon cum ſpeciebus, alipta moſcata, gallia moſcata, pliriſarcoticum, capus, perdix, & volatilia eiuſmodi, confixa lardo, conſperſa cinnamomo, aſſa cum aſperſione vini aromatici.

FRigi-

FRigida. violæ, nenuphar, rosæ, santali, camphora, acetum, omphacium, berberis, cerasa & pruna acidula, acetosa, succus malorum granatorum pomorum oderiferum, acetositas citri, limonum, citrangulorum, persica, carabe, coriandrum præparatum, cydonia, pyra, lac acetosum, diarrhodon Abbatis sine speciebus, diamargariton frig. diatriumsantalorum, condita ex ijs, vt conseruæ & syrupi. Frigida quæ.

Ambigunt aurum, argentum, margaritę, corralli, os de corde cerui, rasura eboris, cornu cerui, vnicornis, fragmenta hyacinthi, smaragdorum, sapphiri, blattæ byzantiæ, spodium, doronicum, melissa, borrago, buglossa. Sed horum quædam ad frigida, quædam ad calida referri possunt. Ex ijs trochisci comparantur, fiunt epithemata, poma odorifera, stragulæ & vestes, suaui odore imbuuntur. Potiones conficiuntur, quæ & palpitationi cordis & syncopę conueniunt. Ambigentia.

AVRO & argento sic vtendum est: Calefiant in medijs carbonibus, deinde quadragesies recalfacta, quadragesies extinguantur in vino aut liquore conuenienti, liquor postea bibitur. Horum quoq; vim relinqui volunt, si cōquantur in ventre volatilium, dum elixantur, aut assantur. Retinentur in ore & saliua deglutitur. Hoc modo argentum sitim lenit. Alij Auri & argenti usus in Medicina.

tenuiſsimis bracteolis vtuntur, quæ folia vocant, & condita electuaria vegetiora reddunt. Rurſus alij in puluiſculum tenuiſsimum comminuũt, & ita cum iuſculo galli decrepiti, cum colatitijs expreſsionibus, diſtillatis exhibent. Sed hęc metalla venena credita ſunt antiquis. Eſt & aurum potabile in eundem vſum.

DE SYNCOPE.
Caput XXV.

Cauſæ euacuationis ſpirituum.

SYncope eſt præceps virium lapſus, ex inſigni ſpiritus euacuatione, alteratione, interceptione. Euacuatur ſpiritus, quia ſubtilior factus eſt, quia corpus rarius eſt, in acri vehementique calore, in vehementi animi motu, cum ijs, quæ excernuntur immodicè, doloris grauitate, morbi magnitudine, fame, abſceſſus ſubita eruptione, & maximę in parte principe, aut quę arterijs plena eſt, aut neruoſa parte affecta, longo labore, ore ventriculi inſigniter affecto, vel ab humorum frigidorũ copia, vel ab humorum acrimonia, lentore, craſsitie: aliquando etiam intemperie, in cruditate, quá præſertim ſequitur alui ſolutio, intemperie partium principum & conſentientium. Vteri affectibus, intemperie calida & ſicca, nimis attenuatis humoribus, vitalis virtutis imbecillitate.

Alteratio-

Alteratione verò, intemperie totius corporis, principalium & earum partium quæ consentiunt corruptione, vel ab aere pestilente, vel à venenis externis, humoribus venenosis, à materia putri retenta in ventre, & intestinis.

Causæ alterationis spirituum.

Interceptione, ab humorum copia, à crassitie & lentore humorum, qui vias spiritales intercipiunt. Distinctis causis curationem institues, colligesque ex primo artis ad Glauconem, quæ ad hanc rem pertinent: similiter ex 12. Method. med.

Spirituum interceptionis causæ.

In euacuatione, refouendæ sunt vires, pauco alimento dato breuibus interuallis, distillatis, expreßionibus, gelatina, iusculis, vino, aromaticis. Puluisculus cordialis,

Curatio syncopis à resolutione

℞ margaritarum splendidarum ℈ ij. rasuræ eboris, ośsis de corde cerui ana ℈ j. vnicornis grana iiij. sacchari violati ʒ ij. vtatur medio cochleari cum syrupo de acetositate citri. Alius.

Puluis cordialis frigidus.

℞ corticis citri ʒ j. margaritarum splendidarum ℈ ij. seminis citri conditi, seminis melonum & acetosæ ana ℈ ij. limaturæ auri, fragmentorum smaragdi, hyacinthi, sapphiri ana ℈ j. sacchari rosati ʒ iij. misce, detur medium cochleare cum vino albo tenui, odorifero & parum vinoso, diluto cum aqua, in qua aurum sæpius extinctum sit. Puluis calidus.

℞ masticis, spicæ, ligni aloes, cinnamomi,

Puluis cordialis calidus. caryophyllorum, galliæ moscatæ, nucis moscatæ, cubebæ, cardamomi maioris, granorum paradisi, corticis citri ana ℈ ij. moschi grana vj. cum vino odorifero, fiant trochisci pondere ʒ j. aut ℈ iiij. Alius.

℞ electuarij de gemmis, confectionis alkermes, aromatici rosati, ana ℈ ij. macis cinnamomi ana ℈ ſ. sacchari in aqua borraginis dissoluti & siccati ʒ iij. misce.

Epithema frigidum.

Epithemata frigida. ℞ aquæ distillationis rosarum, violarum, borraginis, ana ℥ iij. vini tenuis odoriferi ℥ j. specierum diamarg. frig. ʒ j. ſ. misce. Calidum.

℞ vini odoriferi quartaria iij. aquæ melissæ moscatæ ℥ iij. misce. Inunctiones.

Inunctio. ℞ olei de costo & iasmino ana ℥ j. ambræ gra. iiij. Alia.

℞ olei violarum ℥ ij. cum gra. ij. Alij caphuræ musci, fiat inunctio. Inunctiones & epithemata sub sinistra mamma fiunt.

Potiones. Potiones fiunt in frigida, ex vino tenui odorifero, ex syrupo de corticibus citri, cum aquis mellissæ, borraginis, calendulæ.

In calida, cum syrupo de limonibus, de Persicis, oxysacchara simplici, syrupo acetoso, violaceo, de acetositate citri & similibus. Maximè commendatur syrupus de pomis, qui ita parari debet.

℞ suc-

℞ ſucci pomorum oderiferorum cocti & depurati ℔ j. coletur per manicam Hippocratis cum ſacchari violacei ℥ iij. cinnamomi ℈ ij. Vel recentiorum more, cum æqua portione aut paulò minus ſacchari, fiat ſyrupus. Eliguntur poma omnino odorifera, partim acedula, partim dulciuſcula, alioqui pomatio optimo vtendum erit, ex quo vel iulep, vel ſyrupus parari poteſt. Syrupi de pomis præparatio.

DE CHOLERA.
Caput XXVI.

CHolera morbus eſt acutiſsimus, ferè ſine febre, quæ vel vno die vel altero vel certe paucis diebus hominem rapit, ſubſtãtia corporis effuſa, partim aſsiduis vomitionibus, partim iiſdem deiectionibus. Hippocrates cholerę ſiccæ meminit commentario quarto, de ratione victus in morbis acut. cuius naturam & curationem ex eo loco intelliges. Cholera ſicca.

IN humida verò animaduertendum inprimis eſt, vt ſi fieri poteſt vomitus componatur, & relinquatur motus, qui ad inteſtinum eſt. Corrupta enim ferè, ac vitioſa materia quę excernitur. Itaque initio retinenda non eſt, ſed tum primũ cũ inde vires cõcidere videantur. Choleræ humidæ. Curatio.

Igitur initio aquæ tepidæ, aquæ hordei, aliquando etiam adiecto momento ſacchari aut

mellis, vbi frigida materia eſt, imperandus eſt potus ad ℥ vj. Quod ſi βορβορυγμοῖς & flatibus ſolicitatur, cochleare medium ſeminis cumini poterit aquæ incoqui. Hac arte fluctuans in ventre materia, & ad vomitum incitata, repurgatur, ex quo ſiſtendo vomitui intendendum eſt.

Vomitus ſedandus.

℞ iulep roſ. ℥ iij. ſucci granatorum ℥ j. ſ. miſce. Vtatur breuibus interuallis, duobus aut tribus cochlearibus. Conueniunt & ſyrupus roſarum, myrtinus, de cydonijs, de granatis & ſimiles, in cauſa frigida. Iidem quoque in cauſa calida, ſed conſperſis pulueribus ſpicæ, cinnamomi, nucis moſcatæ & ſimilibus: alioqui ſyrupus de menta, de abſinthio & ſimiles. Oportet autem aſſumi cochleare, breuibus interuallis & ſine aquis. Largior enim potus hic non conuenit. Laudatum ab antiquis remedium ex vini granatorum ℥ ij. ſucci mentæ depurati ℥ ſ. vt vtatur cum cochleari, vt prius.

Potus multus nócet.

Admouenda uentriculo.

IN cauſa frigida, vinum optimum tenue & odoriferum aliquando ſatis eſſe poteſt. Imperabis quoque, vt granatum integrum acidum, dulcoratum cum ſaccharo roſato, odoretur ęger, ſugat interim eiuſdem quoque grana, cum manducat, Conſpergenda facies aqua frigida, aqua roſarum per ſe, vel in frigore, adiecto vini odoriferi momento, vel moſci modico.

Vten-

Vtendum quoque ijs quæ exterius admouentur ſtomacho, qualia hæc ſunt:

℞ ſantalorum rubrorum, roſarum ana ℨ ij. galliæ moſc. ℨ ſ. camphoræ gra v, madeant in aquæ roſ. ℥. iiij. aceti ℥ j. ſ. Panniculi in hac miſcella merſi & expreſsi, quantum fieri poteſt, frigidi toti ventriculo applicentur. Poteſt inungi ſtomachus, oleo roſ. de cydonijs, de ſpica, de abſinthio, vt res exigit. Quod ſi timetur nimia refrigeratio, miſcellæ ſupra dictæ, ſuccus mentæ, abſinthij, aliquid quoque cinnamomi, aut vini odoriferi auſteri commiſceri poteſt.

Maſticis ℥ ij. aut iij. cum oui albumine, cum oleo cydoniorum, aut conueniente diſoluuntur, inde fit emplaſtrum, quod extendi debet in aluta, formata ad modum ſcuti. Emplaſtrū.

VVLGI experientia eſt, eboris tabellam admotam ventri, vomitus compeſcere. Sed interim dum hæc fiūt, ſomnus & quies quátum fieri poteſt, concilianda ſunt. Tabella ex ebore uomitū ſedat.

CON ſulendum viribus, partim odoribus partim alimentis. Perdiculas ergo, aut recentes pullos columbarum confixos baculis myrti, rubi, cinnamomo, vti res exigit, & conſperſos interim dum aſſantur aqua roſarum, vino granatorum, vino auſtero odorifero, primum quidem calidos & plenos fumo, naribus Virium cōſeruatio.

ægri admouebis. Ex eo tortiuo prælo succum inde exprimes, expressam materiam naribus ægri admouebis, succum sorbendum exhibebis. Dabis gelatinam cum succo granatorum distillatam, qualem in sputo sanguinis.

Cucurbitula.

QVOD si nihil continet æger, prius data aqua tepida, cucurbitulam magnam affiges vētri, & interim dum ea cucurbitula affixa est, cibum exhibebis Breuibus interuallis, cucurbitulam figes, & refiges, & ita nutries.

Dropax.

Consensus est veterum Medicorum dropacismum impositum ventri, singulare esse remedium assiduè vomentibus. Parabis dropacem ex iiij. partibus picis, & vna olei cydoniorum simul liquatis, deinde in aluta extensis, postremo calidum medicamentum ventri applicabis.

Laudantur vincula articulorum, frictiones mediocres, fotus ex oleo, multo magis vbi conuulsio est, vel imminet. Fouetur spina, musculi conuulsi, articuli. Cucurbitulæ quoq; & ventri & scapulis affigi possunt.

Symptomatum correctio.

QVOD si refrigerantur extrema linteis calentibus inuoluenda sunt. Si spasmus accidit, redeundum ad curam spasmi. Si vrget sitis, sem. cucumeris in aqua temperari debent; donec intumeant, tum cortex exterior detrahatur: quod est reliquum, in aqua coquitur, a-

qua

qua refrigerata bibitur. Cōtra syncopen, tum alijs remedijs, tum buccella panis imbuta vino, admota naribus, contenta ore, vtendum erit. Trochisci Rasis.

Trochisci Rasis.

℞ masticis, boli armeni, thuris, ana ℥ ij. ſ. carabe, cardamomi ana ℈ ij. camphoræ, galliæ moscatæ, caryophyllorum ana gra. v. cum succo granatorum, fiant trochisci pondere ℈ iiij. detur vnus, superbibatur ℥ j. succi granatorū, iulepi rosſ. syrupi cydoniorum, aut similis.

Clysteres.

Clysteris hic duplex vsus est, initio reuocandis vomitionibus, & hi simplices esse debent, postea verò collabentibus viribus, qui leniter reprimant & astringant.

DE IMBECILLITATE *ventriculi Caput* XXVII.

Stomachi imbecillitas conualescentium.

IMbecillitas stomachi frequens magis conualescētibus, etiam ab imperfectà crisi, quo reuocanda sententia Hippocratis: Si à morbo cibum assumens quis non coroboratur, pluri alimento corpus vti significatur. Quod si non assumenti cibū hoc accidit, scire oportet, quòd indiget euacuatione.

Curatio.

IN conualescentibus ergo, quibus reddita est appetentia, imbecillitas ventriculi non potest tantum conficere, quantum appetit. Modica ergo quantitate, sed breuibus interuallis,

cibis boni ſucci,& qui facile conquoquantur, reficiendi ſunt. In alijs quibus appetentia non redditur, reliquiæ morbi in cauſa ſunt, quæ optime vel rhabarbaro vel hiera picra ex decocto cicerum vel abſinthij repurgantur.

Debilitas ventriculi in ſanis.

In ſanis verò debilitas vel à ſola intemperie, cuius indicia ſunt: Calidæ quidẽ, æſtus in medio corpore, ſitis aſsidua, os & lingua arida, iactatio corporis: aliquando etiam extrema vel frigida vel temperata, nec pro ratione æſtus calentia, à cibis nidoroſi ructus: Frigidæ verò, frigoris ſenſus in parte infirma, nulla ſitis, ſaliuatio aliquando multa, ructus acidi: alia ex arte medica Galeni. Cauſa quoque nonnunquam materia eſt, eaque vel quantitate peccat vel qualitate. Rurſus vel corpori ſtomachi atque ventriculi imbibita eſt, vel in capacitate fluitat.

Intemperies quoque aliquando complicantur, quorũ omnia ſigna collige ex arte medica.

Curatio calidæ intemperiei.

Intemperies contrarijs: Calida quidem frigidæ potu, frictione articulorum, cerato Galeni, cuius hæc eſt deſcriptio.

Cerotum Galeni.

℞ ceræ lotæ in aqua roſarum ℥ ſ. olei roſati in aqua roſarum ſimiliter loti ℥ ij. liquefiant in vaſe duplici, quod cum fuerit refrigeratum diu malaxetur cum aqua frigidiſsima, vel ſucco plantaginis. Imperanda ratio vitæ, quæ refrigeret

frigeret,& contra æstum,ac sitim.

℞ seminis cucumeris in aqua macerati & excorticati ℥ s.tragacanthi dissoluti in oui albumine ʒ ij. Liquefiant in vase duplici. Cum eodem oui albumine fiant hypolotides, aut pilulæ quæ teneantur sub lingua.. Quod si syrupis vtimur,his omnino abstinendum est, qui acetũ recipiunt,nisi humiditas coniuncta sit.

In frigida,volatilium carnes confixæ cinnamomo,aut lardo,consperso puluere cinnamomi,& ita assatæ. Alimenta omnia calida, vinum odoriferũ, aut etiam colatũ cũ saccharo, cinnamomo,granis paradisi,modico zinziberis & similibus. Fotus è sacculo mollissimis plumis anseris pleno, & alijs quæ postea dicẽtur. Curatio frigidæ intemperiei.

De sicca autem intemperie curanda,dicetur in febris hecticæ curatione. Siccæ curatio.

Humiditas,si fluit,vomitu eijcienda est:vbi imbibita est, & qualitate peccat, pharmaco repurganda est. Si tãtum quantitate peccat,& præter modum stomachum & ventriculum remollit,astringentibus medicamentis mixta aromatum parte ad resiccandum,vtendum erit. Si crassus & viscidus humor est,incidendus oxymelite,aut alijs eiusmodi, tum pharmaco deijciendus est, Humidæ intemperiei curatio.

Materia eorum quæ infirmum stomachum è frigore confirmant, cinnamomum, cortex Roborãtia refrigeratũ.

citri,caryophylli,maſtix,lignum aloes, zinziber,mirobalani chebuli conditi, macis, menta,abſinthium,galanga,ſquinãthum,carui,ammi,flores anthos,vinum aromaticum,nux moſcata, piper: Aromaticum roſatum,diagalanga,diacuminum,diatrionpipereon,diacydonium cum aromatibus:theriaca, mithridatium: ſyrupus de menta,de corticibus citri, mel anthoſathum:oleum nardinum, de ſpica,de menta,in quo aromata calida coxerint,vt piper,cinnamomum.

Calefactum roborantia

Frigida,corali,ſantali,ambra citrina,coriandrum præparatum, ebur, cornu cerui & vnicornis,cydonia,pyra aſtringentia, roſæ,diarrhodon Abbatis,miua acetoſa,diacydonium ſine ſpeciebus, ſcoria ferri, limatura chalybis, ceratum ſantalinum,oleum roſarum & de cydonijs,ſyrupus roſarum & de cydonijs, aliaq; eiuſmodi,quorum pars in controuerſiam temperamenti venire poteſt, cæterum calidam intemperiem corrigere poſſunt. Horum omnium vſus,vel quia inde puluiſculi & electuaria, potiones quoque confici poſſunt, aut topica, quę exterius applicentur.

Ante omnia tamen videndum eſt ne nimiũ aſtringamus, ex quo ſiccitas immodica contrahitur:ne nimium humectemus, hinc enim virtus harum partiũ diſſoluitur. Tepidis vtendum

dum non eſt, ſed vel frigidis vel calidis, quia tempore victus ſtomachus, relaxatur.

REmedia externa, anterriore parte ad ſterni initia ſub pectore aptanda ſunt: quáquam & poſteriore parte ad 12. vertebram probata remedia applicari poſſunt. Vtraque parte poſita magis iuuabunt. Sed oportet ea quæ poſterius apponuntur habere aliquid tenuium partium, quo per difficiliorem viam penetrare poſsint. Topica.

Humidiori ventriculo conuenit.

℞ ambræ citrini, maſticis, irinis ana ʒ iij, roſarum ſiccarum ʒ j. ſ. fiat pul. detur ʒ j. cum magno cohleari ſucci granatorum, vel ſero lactis. Quod ſi frigiditas coniuncta eſt, addes cinnamomi, ſquinanthi, maceris ana ℈ j. Humiditatem quoque reſiccant ferè omnia in frigidis numerata, & vino incocta, quod aſtringat. Sed vbi frigiditas coniuncta eſt, aromata miſcenda. Puluis ad humidum uentriculū.

Ad frigidam diſpoſitionem.

℞ corticis radicis fœniculi ʒ ij. coquantur in vini optimi ℥ iiij. ad dimidias. Quod ſi maior refrigeratio eſt, coletur vinum per manicam Hippocratis cum ʒ j. cionamomi. Diatriō pipereon, diacydonium Galeni cum aromatibus conueniunt. Potus refrigerato uentriculo.

QVOD ſi flatus adſunt, galanga, grana pa- Flatuoſo uentriculo.

radisi,cuminum,libisticum,carui,baccę lauri, iuniperi,et similia vino odorifero incoquenda sunt,aut in puluerem redacta, macere & cinnamomo adiectis,incorporantur melle anthosato. Theriaca et mithridatio hic vtendum est.

Calorē naturalem fouent.

Calorē refouent caniculi,pulli,manus admota ventri,rasura dibaphi,quæ plurimū conuenit,vbi etiam humiditas est,coton,sacculus è mollissima pluma anseris,pellis leporis, coton in vino odorifero decoctionis mentæ immersum,expressum,siccatum & ita impositū. Ceratum stomachi cum Galeni vel hoc.

Ceratū stomachale.

℞ olei de spica ℥ iiij.ceræ ℥.masticis ℥ s. liquefiant in vasę duplici,deinde adde cyperi, macis,cinnamomi ana ʒ j.commisce diligenter,& rasura dibaphi excipę, quantū satis est, calidumque appone.

℞ dialthææ ℥ j.masticis dissoluti in oleo de spica ℥ s.croci ʒ s.misce,extendatur in aluta pro stomacho. Hoc & dolorem lenit,& stomachum roborat. Masticis grana præmansa, & deglutita.

[illegible] calidā [illegible] culi [illegible] cęperē

Concalefacto verò stomacho, vtendum est cerati santalini ℥ ij. malaxatis cum oleo de cydonijs rosarum,deinde extensis in aluta. Iulep rosarum , vinum granatorum, syrupus acetosus simplex,similes syrupi.

QVOD si humiditas calori coniuncta est, aut

aut aliquis humor biliosus, vel in vẽtre collect. vel aliũde inuectus, absinthio, hiera picra, rhabarbaro, cassia & similib. hac ratione vtẽdũ est. *Calida & humida intemperies.*

Absinthij decoctum, biliosa deterget & sub ducit, si quidem altius non fuerint imbibita: & hoc magis melicratum ex absinthio, aut decoctum absinthij cum octaua parte mellis rosati dulcoratum. Infestissimum verò absinthium, quibus pituita ventriculo inhæsit. *Absinthij usus.*

Hieræ picræ & rhabarbari vsus est, vbi imbibitus, humor est biliosus tunicis ventriculi, vtriusq; ʒ j. aut ℈ iiij. ex decocto absinthij, cicerum rubrorũ, sero lactis, aqua endiuiæ, satis esse possunt: alioqui ℥ j. cassiæ aut catholici imperanda est. Sed ab his roborandus est stomachus. Nec enim, vt hiera & rhabarbarum, confirmare possunt. *Hieræ & Rhabarbari usus.*

Vinum absinthites descriptum à Dioscoride deterget, roborat, appetentiá reddit. Quod si deest, molliores absinthij cauliculos recentes leuiter conquassabis, vino odoro austeriusculo macerabis, & leuiter feruefacies, vel siccos eosdem cauliculos vino infriabis. *Vinum absinthites.*

In imbecillitate stomachi plurimus olim vsus medicamenti è cydonijs. Syrupus acetosus de cydonijs. Rasis & Arabum.

℞ succi cydoniorum per residentiam depurati, sacchari ana ℔. j. aceti ℥ iij. coque ad- *Syrupus acetosus è cydonijs.*

ſpiſsitudinem. Conuenit calefacto ſtomacho & inde infirmato. Poteris tamen imminuere modum ſacchari, vt erit auctus calor: aceti, vt erit ſenſus ſtomachi. Miua Raſis.

Myua cydoniorum Arabum.

℞ ſucci cydoniorum ſtruthiorum maturorum per reſidentiam depurati ℔. j. ſacchari ℔. ſ. coquantur & deſpumentur. Tum.

℞ zinziberis, ſpicę, cinnamomi, caryophyllorum ana ʒ ij. maſticis ℈ iiij. omnia puluerizata nodulo includantur, & in prædicta miua calida macerentur: deinde refrigeſcat & nodulus exprimatur. Græcorum Miua de cydonijs.

Miua cydoniorũ Græcorum.

℞ ſucci cydoniorum, mellis optimi ana ℔ j. aceti acris ℔. ſ. aut non ita acris ℥ viij. zinziberis ʒ v. piperis albi ʒ ij, ſuccus cum aceto & melle, modice coquatur, diſpumetur, tum inde pulueres, & coque ad craſsitudinem.

MOderatis omnibus oris ventriculi affectionibus præter quam, quę ex ęſtu vehementi oriuntur, modò deſcripta duo medicamenta conueniunt. Aliud.

℞ carnis cydoniorum, mellis ana ℔ j. aceti albi ℔. j ſimul bulliant & agitentur, tum adijce piperis ℥ j. zinciberis tantundem, petroſelini macedonici ℈ viij. hoc magis adſtringit. Vẽtri calida intemperie affecto, aut billioſo piper & zingiber ſubtrahuntur. Ventri temperato, tantum dimidiũ piperis & zinziberis.

ſubtra-

ſubtrahitur. Aliquando miuæ aromaticæ ℥ j. theriacæ aut mithridatij ʒ j. commiſcetur, daturque ex vino odorifero.

QVOD ſi etiam dolor coniunctus eſt, in primis phlebotomia conuenit, ex interna brachij: perſeuerante malo, ex vtraque baſilica, & hoc magis, ſi grauis dolor eſt, ſi repentinus, ſi difficilis ructus, & ſpiritus, ſi febris eſt, ſi dolor in dorſum & ſcapulas extenditur. Hiſtoria eſt in 5. Epidemiorum de muliere quadam, quæ in vehementiſsima dolore ſtomachi, nullis alijs adiuta remedijs, ſanata eſt ducto ex vtraq; manu ſanguine. Intēperies uentriculi cū dolore. Sanguinis miſsio.

Poſtea vero leniendus dolor eſt: & ſi quidem venter reſpuat, cucumeris ſemen & hordei in aqua frigidiſsima macerari debet, & decorticari, tū adiecta parte liquiritiæ raſæ & recentis coquantur, aqua diſpumetur, refrigerata vel niue, vel alijs modis ſupradictis, propinetur: Veſica ea aqua, vel alioqui frigida ex dimidio plena, ſæpius admoueatur. Doloris ſedatio.

QVOD ſi materia aliqua concepta ventriculo dolorem facit, ea vt prius, commodè repurganda eſt. Cucurbitula vmbilico, aut ad latera vmbilici affigenda eſt: dextrum quidem, ab hepate: ſiniſtrum, ſi à liene in ventrem fluxio eſt. Suntque omnino tria genera eorum, quæ dolorem leniunt. Primum, quod reſcin-

Dolorem leniunt. dit causam, vt pharmacum & medicamentum, quod intemperiem corrigit. Secundum verò eorum quæ verè anodyna sunt, quale chamæmelum, melilotum, anethum, flores rosmarini,, croci, rosarũ, violarũ, quibus aliquid mentæ, absinthij & eorum quæ stomachum roborant, adijciendum est. Similiter & furfures, milium, sal, dolorem leniunt: sed frigi debent & sacculo includi.

Sacculi ad dolorem. ℞ furfurum M. j. millij conquassati p. ij. salis ℥ j. frigantur in sartagine, deinde sacculo includantur, perfumetur sacculus vino diluto aqua rosarum, & effuso in laterem candentem. Aliud.

℞ florum anthos, ros. viol. chamæmeli, anethi, meliloti ana p. j. summitatum absinthij p.s. fiant sacculi, perfumentur vt prius, & applicentur calidi. Alioqui.

℞ mentæ, absinthij ana p. ij. chamæmeli, florum anthos ana p. j. calami aromatici, squinanthi, masticis ana ℥ j. fiat decoctio in vino odorifero, in decoctione coton aut rasura bibaphi immergatur, exprimatur & identidem calida applicentur. Materia quoque expressa, ventriculo toti applicetur. Sed videndum ne refrigescat, statimque oleo conueniente vngere oportebit.

Narcotica. VBI supradictis remedijs non concedit dolor, nar-

lor, narcoticis vtendum eſt, primum quidem leuioribus, quales ſunt ſyrupi roſarum, papaueris, myrti, ſyrupus violaceus, de nenuphare, cum portiuncula opij, aut ℈ j. philonij.

℞ ſyrupi roſarum & de abſinthio ana ℥ j. opij gra. j. bulliant vna leui ebullitione, deinde cum ℥ iij. iuris pulli, detur in potu.

℞ philonij in cauſa frigida: in calida verò, requiei deſcriptionis Nicolai, vnius ʒ ſ. in vino tenui odorifero.

℞ pilularum de cynogloſſa ℈ j. diſſoluatur in ſyrupi roſati & de papauere ana ℥ ſ.

Trochiſc. ſtellæ, ſpicæ, maſticis, cinnamomi, ſquinanthi, caſtorei, myrrhæ, olibani, piperis, aloes, abſinthij, ſeminis hyoſciami albi & mandragoræ, opij ana partes æquales. hoc eſt, ʒ ſ. fiant trochiſci cum vino dulci, pondere ʒ ij. detur j. cum vino odorifero. Albucaſis non reuelandum remedium.

℞ opij ℥ j. cum alilorum capitibus duobus, conquaſſentur, fiat diſtillatio in alembico, eius aquæ modicum bibatur. Eadem arte poteris opium commiſcere rebus ſtomachicis ſupra enumeratis, & inde aquam elicere. Alia narcotica ſuperius deſcripta. Remedia quoque plurima ex libro octauo κατὰ τόπους petere licet.

DE SINGVLTV
Caput XXVIII.

SIngultus conuulsio quædam est, & prauus motus oris ventriculi, vel ipsius etiam ventriculi, vi retentrice officium negligente, & robustiore expultrice.

Causæ. SINgultus causæ inanitio, & repletio. Qui ab inanitione, ferè lætalis est, sequiturque insignes euacuationes, vt sanguinis è vulnere, è locis muliebribus, aut aliunde: sequitur dysenterias, diarrhœas, & cætera eiusmodi: ardores quoque & graues inflammationes viscerum: de quo priusquàm præsagium instituas, vide num sit à repletione, minus enim periculosus est, sæpeque cum multa per ventrem euacuantur, singultus à repletione est, quia pars materiæ, quod ex reliquo corpore confluit in ventrem, tunicis ventriculi imbibitur. Singultu excluduntur non solum quæ in corpore ventriculi, sed etiam quæ in stomacho & œsophago continentur. Sunt qui ad inanitionem & repletionem, adiungant causam singultus perfrictionem oris ventriculi, de quo octauo κατὰ τόπους, & aphoris. 13 & 39 lib. 6.

Curatio eius qui ab inanitione. IN inanitione etiamsi desperata res est, iuuandus tamen æger est distillatis, colatitijs iusculis & expressionibus, cibis humectantibus, inunctio-

inunctionibus, inunctione dorsi & ventriculi ex oleo violaceo. Hydrælæo quoq; ex aquæ & olei partibus æqualibus adhibendus est fotus.

Curatio eius qui à refrigeratione.

SI perfrixit, calefaciendus est per ea quæ non tam astringant, quàm rarefaciant. In perfrictione enim stomachus neruosum corpus, condensatus est, ideoq́ non transspirat, ex quo repletio fit, à qua singultus. Vino itaque odorifero cum tantillo cinnamomi & galangæ, malo occurrendum est. Stomachus & spina oleo de castoreo, de piperibus inungenda sunt, aut inde cerata conficienda, perpetuo seruata ratione ne adstringamus, donec acquieuerit singultus.

Curatio eius qui à flatibus.

VBI flatuum multitudo ijsdem ferè remedijs sedatur, vino quoq; in quo ruta, rosmarinum, semen dauci, cumini, carui, cubebæ, baccę lauri aut iuniperi, galanga, libisticum & alia eiusmodi coxerint: aut eadem cum vino odorifero, maluatico, aut simili colabimus per manicam Hippocratis. Aqua vitæ cum tantillo cinnamomi. Anethum quoq; quadam proprietate, vt volunt, singultum sedat.

Electuaria fiunt ex nardo gallica, zinziberi, seseli & proximè enumeratis remedijs cum melle. Mel anthosatum hîc conuenit, vt confectio de baccis lauri, theriaca vetus & mithridaticum.

Singultus à materia calida.

QVOD si materia aliqua est continens causa singultus, ea vel calida est vel frigida. Calida vacuetur vomitu, si fieri potest, alioqui ℈ iiij. rhabarbari, vel tantũdem pulueris hieræ picrę in sero lactis, vino granatorum acidorũ & maturorum, aqua endiuiæ, decocto cicerum rubrorum infunde, expressionem exhibe: tum si perseuerat singultus, aqua frigida propinetur, & subinde hæ pilulæ imperentur.

Pilulæ in calido.

℞ spodij, seminis endiuiæ, portulacæ, ligni aloes ana ℈ j. pulpæ tamarindorum ʒ j rhabarbari electi ʒ ij. confice cum oxycrato, aut vino granatorum. Aliud.

℞ syrupi rosarum, acetosæ, oxysaccharæ simplicis ana ℥ ij. in quibus infunde summitatum absinthij ℥ ſ. fiat infusio in calidis cineribus, tum duobus aut tribus cochlearibus refrigerati remedij, per interualla vtatur.

Cerati santalini ℥ iiij. cum oleo rosarum malaxentur, deinde commisce spodij, rosarum ana ʒ j. cum succo semperuiui, agita, inde finges duo scuta in aluta, alterum stomacho ad sternum, alterum ad 12. & 13. vertebram dorsi applicabitur.

Singultus à materia frigida.

IN causa frigida vbi crassa & viscida materia, melicrato hyssopi, vel oxymelite simplici materiam præparabis, tum, vt mouebitur per vomitum, aut ventrem, repurgabis ex hiera picra

cra diſſoluta in decocto cicerum rubrorum: dabis autem hieræ modum, ab ℥ ſ. ad ℥ j. Conueniunt in hoc ſingultu acetum ſcylliticum, oxymel cum cinnamomo aromatiſatum, melicratum ex rebus incidentibus hyſſopo, thymo, pulegio, ſatureia & ſimilibus. Maximè probant galangam.

℞ ergo vini albi tenuis odoriferi iij. in quo leuiter ferueant galangæ ʒ j. cinnamomi, ſeminis anethi ana ʒ ſ. Conuenit & caſtoreum in vino odoro. ad ℈ ij. Sed quia fœdo eſt odore, cinnamomo, ſemine apij temperari poteſt. Cōueniunt & hæc, ſquinanthum, azarum, maiorana, ariſtolochia, enula, zinziber conditum, acorus conditus, diatrion pipereon, diacuminum, diagalanga, theriaca vetus.

Exterius verò oleum de lilijs, de amygdalis dulcibus; & iam ſedato ſingultu atq; vacuata materia, ea quæ roborant aſtringendo.

FIT aliquando, vt materia quædam venenoſa ſit, cui hoc puluere occurrendum eſt. Singultus à uenenata materia.

℞ ſeminis anethi, cardui, citri ana ℈ j. meliſſæ, corticum citri ana ʒ ſ. coralli rubri, galangæ, macis, cinnamomi, ana ℈ ſ. margaritarum, fragmentorum ſmaragdi ana gr. viij. cornu cerui & vnicornis, ana gr. iiij. cum ſaccharo borraginato & vino albo tenui, & odorifero, fiant lozangiæ vel puluis.

Cucurbitulæ. Quod ad cucurbitulam attinet, iam vacuata materia, primum ſcapulis, tum pectori & vmbilico, poſtremo ventriculo & 13. vertebræ affigi debet.

In contumaciori morbo. QVOD ſi nec ijs quidem reſiſtit ſingultus, ijs locis phœnigmi aptari debent. Alij in malo contumaciori imperant ellebori ʒ j. galangæ, cinnamomi ana ℈ j. macerentur per noctem in vini maluatici ℥ iiij. colatura bibatur. Alij etiam ſtupefacientibus vtuntur, de quibus proximè. Nec omittenda ſternutatio, quorum formulas ſuperioribus capitibus deſcripſimus, clamor, & cætera eiuſmodi, quemadmodum & repentinæ animi commotiones, timor & terror, &c.

DE BVLIMO.

Caput XXIX.

Boύλιμος genus eſt, quod φαγέδαινα appellatur, ingens atque inſatiabilis appetentia. Eius multæ ſunt differentiæ, vt cauſæ euariât.

Ex frigore. ALIIS longum iter per frigora & niues, aut alioqui externum frigus inde affecto ſtomacho βουλίμου cauſa eſt. Sed initio quidem multa appetunt, poſtea vero concidit appetentia. Propterea hoc genus ita definit Galenus. Βούλιμος caſus eſt appetentiæ à frigiditate exteriore, ex indigentia totius corporis, & imbecillitate ſtomachi, qui vt refrigeratus nimium

& reſic-

& reſiccatus eſt. Propterea vniuerſalis cura-tio in calefacientibus & humectantibus, tùm balneis tum fomentis, & edulijs poſita eſt. Appetunt ergo ij initio quidem vehementius, ſed tempore nihil appetunt. Curatio.

ALIA quoque ſpecies eſt, cum acris & mordax humor inhæſit tunicis ſtomachi, vt nulla iam ſit appetentia; atque ita contabeſcit corpus. Ex mordaci humore.

Meminit & alterius generis in Libro de Theriaca. Ex uermelato inteſtinorum.

QVIbuſdam naſcitur in inteſtinis latus vermis. Is ſi diutius ieiunum eſt, lancinat inteſtinum & ventrem: vbi vero cibus ingeſtus eſt, exugit atq; depaſcitur, ex quo deſtitutum corpus alimento emarceſcit. Aliud quoque indicium eſt huius vermis proditum ab Ariſtotele. Quod in egeſtionibus alui ſimilia ſeminibus cucurbitæ aut cucumeris apparent. Excludendus hic vermis eo modo quo dicetur capite de Vermibus.

RVRſus frequentiſsimus eſt bulimus in his qui cōualeſcunt, magis etiam ſi fuerit morbus longior. In ijs enim non ſolus humor & ſpiritus, ſed & ſolidæ partes detrimentum ſui acceperunt. Qua in re vtendum erit præcepto Hippocratis. Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ vero Ex morbo. Curatio.

breui,breuiter. In breui enim morbo humoribus quidem & ſpiritibus aliquid detractum eſt, integræ autem atq; incolumes ſolidæ partes ſunt. Quorum inſtauratio partim odoribus propter ſpiritus, partim odoratis alimentis & ijs liquidioribus, propter ſpiritus & humores: partim etiam ſolidis, ſi quidem partes elementares attenuatæ ſunt. Ad hæc leges Aphoriſmum, Facilius eſt impleri potu, quàm cibis, & quartum de Sanitate tuenda: ſeptimum Methodi: & finem artis paruæ.

Summa eſt vt alimentis boni ſucci, quæ facilè coquantur, diſtribuantur & nutriant, modica quantitate, breuibus interuallis, reficias. Qui propterea quod ſæpe ſitiunt, vino refouendi ſunt hoc modo.

Potus. Lædit vinum vacuo ſtomacho ante cibum, ſtatim enim differtur in corpus, neruos lædit, vnde tremor, conuulſio, delirium.

Ex immodica verò quantitate, aut non conuenienti qualitate ciborũ, recidiuę fiunt. Tempeſtiuus eſt vini potus in medio cibo.

Poſt cibum, interim dum alimentum conficitur, abſtinendum vino, tùm quod inde fluitat cibus, aut priuſquàm fuerit confectus, in corpus rapitur. Quo tamen tempore, ſi vehementer ſitiãt, tantûm exhibendum eſt potus, quantum ſufficit, vt deſiderium obtundatur.

Iam

Iam confecto cibo, & vt distributatur comparato abunde bibant.

DE CANINA APPETENtia. *Caput* XXX.

NOn multum à præcedente morbo differt, appetentia, quæ canina dicitur. In hoc enim conueniunt, quod multum comedere cogantur. Canina verò, hoc est, contumax & insatiabilis appetentia, peculiariter est, in qua multos cibos ingurgitant, sed eosdem more canum statim reuomunt, quia videlicet natura, multitudinem non sustinet. Nascitur ferè à frigido acidoq; humore tunicis stomachi imbibito, quo modo spongia liquorem aliquẽ exorbet. Nonnunquam etiam ex sola intemperie nasci volunt. Causa.

INtemperies contrarijs corrigenda. In vitioso humore conueniunt quę incidunt, detergent, calefaciunt: diuretica quoque, eaq; pani, vino, edulijs, mixta aut aliter exhibita, qualia sunt melicrata è thymi, origani, hyssopi, satureiæ, pulegij, allij, porri, & similium decocto, aut qui ijs respondent syrupi. Curatio.

Purgandus quoque humor est ex ʒ ij. hieræ picræ & conuenienti melicrato. Quod si amarorem aloes non ferant, hieræ picræ puluis incorporandus melle est, aut ℥ ſ. electuarij de Purgatio.

hiera imperanda eſt : Alioqui pilulæ fiant ex pul.hieræ & agarici troch.ana ℈ ij.quæ illinantur melle,aut puluis ex ouo ſorbili exhibeatur.

Potus multus vini , etiamſi non ſitierint, conuenit.Sed in medio cibo,aut pleno ventre veriſimilius,quàm vacuo. Vinum giluum ſit, aut vermiculum,nulla præditum aſtrictione, vetus,dulce, vel acriuſculum. Et hæc contra cauſam faciunt.

Symptomatis curatio. CONTRA verò ſymptoma edulia pinguia, oleaginoſa, quæ relaxant corpus ventriculi,quòd acido humore adſtrictum eſt,& vehementius appetit. Omnia frigida, & quæ aſtringunt, vitanda ſunt. Stomachus oleo fouendus eſt, in quo thymum & proximè dicta materia coxerit.

Vomitum ſedantia. SED quia aliquando conſuetudo fit vomitus,nihil retinetur, atque adeò intabeſcit corpus,modica quantitas alimenti ſemel exhibenda eſt , quam etiamſi non retinet ventriculus, cucurbitula ventri infigenda eo modo, quo capite de Cholera diximus.

DE HEPATIS INFLAMMAtione. *Caput* XXXI.

INflammatur iecur gibbis partibus & cauis, vtrumq; proprijs indicijs diſtingues, ex ca. 6.lib.5.de locis aff.

Cura-

CVratio alia Græcorum, alia Arabum, conuenit tamen de phlebotomia. Statim ergo initio clyster mollis inijci debet ex ℔. j. decocti communis, ℥ iij. olei violacei, in quo dissoluere licet ʒ vj. casiæ, mellis rosati, & sacchari rubri ana ℥ ſ. Curatio.

Reddito clystere eo tempore, quo æger minus calere videbitur, declinatione accessionis, venam basilicam diuidito: quæ si non apparet, media aut etiam cephalica vulneranda est. Probatum quoque antiquis medicis, vt venæ extremæ manus aperiretur. Galenus eam eligit, quæ ad policem vergit, Paulus quæ ad minimum. Rasis quæ ad medium. Sed ex his parum sanguinis effluit. Grauis autem inflammatio est, & febris quæ vacuationem desiderat, & subitam & copiosam, etiam ad animi deliquium, nisi nobilitas partis repugnaret, quæ sanè graui detrimento subitam plurimamque vacuationem non sustinet, ex quo temperanda est euacuatio. Venæ sectio.

QVOD attinet ad topica, Arabes refrigerantibus vtuntur, quale hoc est: Topica secundum Arabes.

℞ succi solatri tepidi ℥ iiij. cũ linteolo aut stupis canabinis, fiat epithema. Aliud.

℞ aquæ rof. ℥ iiij. aceti ℥ ſ. santalorum rubrorum & citrinorum ana ʒ j. camphoræ ℈ j.

Græci relaxantibus vtũtur, quibus aliquid Topica secundum Græcos.

aromatum admixtum ſit, quod aſtringendo roboret. Vtriſq; ſcopus eſt, vt refrigeretur hepar. Græcis præterea, vt vis eius conſeruetur: Arabum remedia qualitate propria refrigerát, Græcorum verò per accidens. Nam apertis poris, reſoluta in fumos materia, calorem hepatis euacuant. Græcorum.

Fotus ſecundum Græcos. ℞ ſummitatum abſinthij, carnis cydoniorum conciſorum ana ℥ iij. decoquantur in aqua & oleo ad conſumptionem aquæ, cum ſtupis canabinis aut linteolis in expreſſo oleo merſis, foueatur regio hepatis. Alioqui.

℞ olei de abſinthio & cydoniorum ana ℥ j. ceræ ℥ ſ. liqueſiant in vaſe duplici, refrigerata malaxentur, cum ſucco endiuiæ, cichorij aut ſimili.

Olea. Olea conueniunt, roſatum, de cydonijs, de maſtice, de abſinthio, ſpica, ſquinantho, in quo ſantali coxerint, quæ aſtringendo roborant. Relaxant verò oleum de amygdalis dulcibus, chamæmelo, anetho, meliloto, in quo althææ radix coxerit, oleum lini.

VBI fluxio maior eſt, maior quoq; infirmitas viſceris, plus aſtringentium, alioqui plus relaxantium miſcendum eſt. In ſumma lenientibus, reſoluentibus, laxantibus, roborantibus acribus vſi ſunt veteres, aliquando etiam remollientibus, vbi iam durities ſuſpecta eſſet. Mucilagines conueniunt cum ſemine cydonio-

doniorum, althææ, lini, fœnugræci.

QVOD ad potiones attinet, vitanda sunt quæ refrigerant & adstringunt, nisi aliquid commistum sit, quod detergeat & aperiat, propterea aromata antiquis probata sunt. Vti licet squinantho, spica nardi, calamo aromatico, cinnamomo, folio, asaro, santalis, camphora. Materia verò potionum ex hordeo, syrupus acetosus, iulep facto ex aqua, vel decocto capillorum veneris, cichorij, endiuiæ, fumariæ, cuscutæ, glycyrrhizæ, hepaticæ, quatuor seminis frig. maiorum & minorum cum octauo parte sacchari, & momento cinnamomi, spicæ & similium: syrupus de cichorio, endiuia, capillis veneris, fumaria, sed plurimum diluti, non cum dupla aut tripla aqua, sed potius sextupla aut octupla, diluendi verò supra dictis aquis. Potiones.

ELEctuaria quibus confirmatur hepar, proximo cap. dicentur. Probatum etiam hoc oleũ antiquis etiam inflammato hepate.

℞ rutæ p. ij. squinanthi ℥ j. lini seminis ʒ ij. medium capitis papaueris, coquantur omnia in oleo. Oleum probatum.

Ceratum santalinum cum oleo conuenienti malaxatur: capiantur ℥ iij. cerati, malaxentur, extendantur in aluta, fiat scutum ad formam crescentis.

Emplastrũ maturans. Emplastrum de meliloto & althæa, vbi maturandum est apostema. Malaxantur cum oleo de lilijs, aut in quo radices althææ coxerint: emplastrum factum ex contusis folijs brassicæ, & melle: emplastrum ex ficubus pinguibus, althææ radice, coctis in oleo. Quod si suspicio est infirmitatis, aliquid olei de absinthio & aromatum commiscendum est.

Reliquiæ clysteribus & leuibus pharmacis subducendæ sunt, siquidem malum est in cauis hepatis.

Gibbæ hepatis inflammatio. QVOD si in gibbis & copiosior materia est, primum quidem ijsdem remedijs, deinde etiam diureticis vtendum erit, radice graminis, cichorij, endiuiæ, acetosæ, apij, petroselini, fœniculi, rusci, asparagi, & alijs, quæ postea plenius dicentur.

Laudata herba agrimonia seu eupatorium ab antiquis, & maiorana.

Cucurbitulæ. CVcurbitulæ vsus tùm initio tum inueterato morbo. Quidam enim è veteribus postridiè quàm missus fuerat sanguis cum scarificatione affigebant dextro hypochondrio, relinquebant vulnus in crastinum atque iterum affigebant. Alij verò iam inclinante morbo, vt reliquias vacuarent, simpliciter applicabant.

DE

DE HEPATIS DEBILITATE. *Caput* XXXII.

INtemperies causa est tum substantiæ visceris tum humorum qui venis & arterijs continentur, atq; imbecilla est attractrix, retétrix, alteratrix & excretrix. Signa causarum.

Attractrice infirma, liquida deijciuntur per aluum, vt alteratrice ventriculi infirma: sed hic cruda & incocta; infirma attractricę hepatis, nō ita cruda, sed ad chyli formam accedentia. Hepate verò attrahente, sed non alterante chylum, simile quid loturę carnium aut sanguinis quem aqua diluerit excernitur, postea etiam non rudimenta sanguinis, sed deteriore qualitate excrementa effluunt. Huius rei causa hæc est: frigidiore hepate, alteratrix infirma est, itaque rudiorem sanguinem, quem à mesenterio accepit non conficit. Itaque per interualla excernitur, & loturam carnium repræsentat: vbi verò resistit, crassescit tempore, angustias hepatis intercipit, iam non perspirat, suboritur febricola, interceptus humor putrescit atque aduritur, quo tempore non iam dilutus sanguis, sed veluti fœx sanguinis excernitur. Excretio illa lucet atque aliquando in atram bilem conuertitur.

Signa frigidæ intemperiei.

In frigida intemperie color faciei pallidus,

pulſus tardus, vrina alba, aliâs tenuis, aliâs craſſa, non ita frequens neq; copioſa deiectio, neque grauiter olens, niſi cum iam corrumpitur. Appetentia aliquando corrumpitur, aliquanda intenditur, nulla ſitis.

Signa calidæ intemperiei.

Calidam vero intemperiem ſequitur color faciei flauus, celerior pulſus, vrina flauo colore ſaturata, proſtrata appetentia, ſitis vehemens, faſtidium graue, agitatioque corporis, inſignis febris, excrementa alui olida, bilioſa, admodum craſſa, crocea, mordacia. Vomitus quoq; virulenti, æruginoſi, ex 8. κατὰ τόπους cap. 7. & lib.. 5. de loc. affec. & alijs.

Curatio cauſæ calidæ.

IN calida diſpoſitione fotu atq; irrigatione primum vtendum eſt, è chamęmelino, roſarũ, maſticino oleo, in quo abſinthij comæ, vel dactyli incoxerint. Laudatum remedium Græcis & Arabibus, frequens vſus cithorij, endiuiæ. Oportet autem hæc, vel reſiccata infriare aqua hordei, vel incoquere aqua puriſsima & adiecta ſexta, vel octaua parte ſacchari, potiones conficere. Augebitur autem ſacchari modus vel minuetur pro ratione.

Curatio cauſæ frigidæ.

Hæc eadem in frigida conueniunt, ſed loco ſacchari diluemus mel, aut vtemur ſyrupo de cichorio ſimplici cum aqua abſinthij, cuſcutæ & ſimilium. Optimumq; fuerit eas aquas prius condire modico cinnamomo, aut adijcere

aliquid

aliquid eorum, quæ aperiunt, quale hoc est:

℞ endiuiæ, cichorij sicci & puluerisati ana ℈ ij. seminis securidacæ ʒ j. cinnamomi ℈ ſ. fiat puluis, detur è vino albo tenui. Puluis.

Laudant veteres melicratum è filicis radice detergendo & liberando sine calefactione manifesta, aut refrigeratione. Melicratū.

℞ radicis chamæpityos ℥ ij. rad. cichorij, ℥ j. squinanthi ʒ ij. coquantur in quartarijs tribus aquæ purissimæ ad dimidias, colaturam percola per manicam Hippocratis cum sacchari albissimi ℥ j. cinnamomi ℈ ſ. In frigida & imbecilli retentrice atque concoctrice. Potiones.

℞ nardi celticę ʒ vj. absinthij ʒ ij. cinnamomi ʒ ſ. cribrata melle excipe, fiat electuarium, aut decoque in aqua, atque inde melicratum compara. Electuariū.

IN frigore & in obstructionibus, olea conueniunt, in quibus elenij, iridis, gentianæ, costi radices coxerint. Eædem quoque radices infriantur & insperguntur melicrato, vel excepta melle exhibentur. Cochleæ & lupinum iecur trita, & in puluerem redacta ex vino imperantur. Iecur lupi.

Electuarium de vino Arabū, quod Cyphoides ab Andromacho & Græcis appellatur. Electuariū de uino.

℞ passularum mundatarum ℥ iij. croci ʒ j. calami aromatici ʒ ij. ſ. bdellij ℥ ſ. cassiæ ʒ ij. ſ.

cinnamomi ʒ ſ. ſpicæ ʒ iij. myrrhæ electæ ʒ iiij. terrebinthinæ ʒ iiij. ſquinanthi ʒ ij. ſ. ſiliquarũ carrubiorum ʒ ij (Galenus 8 κατὰ τόπους habet, ramentorum aſpalathi ʒ ij. Auicenna autem, darſiſahan) mellis ℥ ij. vini ſubtilis, quantum ſatis eſt, fiat electuarium. Addebant alij in calidiore hepate ſemẽ hyoſciami albi, opij an. ʒ j.

Materia ferè conuenit quæ penetrat, aperit, lenit, aſtringendo roborat, abſtergit, incidit, putredinem prohibet, exiccat. Vtimur ergo ad penetrationem cypero, ſquinantho, croco, iride, aromatibus. Eadem quoque aperiunt, cui rei etiam piſtacea, marrubium, abſinthium, & alia, quæ cap. de obſtructione hepatis dicentur. Leniunt ficus, paſſulæ, vinum granatorum dulcium, vinum ſubdulce & tenue. Abſtergent mel, aqua mellis, terebinthina, & quæ inde diſtillantur aquæ, aqua hordei. Incidit acetum, vinum granatorum maturorum & acidorum. Roborat ſquinanthum, abſinthium, eupatorium, roſæ, ſpica. Præſeruant à putredine, & ſi quid eſt virulentum corrigunt, inprimis cinnamomum, deinde caſsia lignea, nardus, iuncus odoratus, calamus aromaticus, crocus, myrrha electa, aſpaltus, paſſulæ, raſura eboris, cornu cerui, vnicornu, vinum, mel, terebinthina, aromata omnia. In exiccando vtuntur ſpodio,

Penetrantia. Aperiẽtia. Lenientia. Abſtergentia. Incidentia. Roborant. Putredinẽ arcent. Exiccantia.

dio, cuius loco vti licet ſaccharo roſato admixto cinere, facto ex oſsibus elephantis.

A proprietate conuenire volunt, rhabarbarum, ſpicam, paſſulas, iecur lupinum, carnes cochlearum. A proprietate conuenient.

DE MORBO REGIO.
Caput. XXXIII.

REgius eſt verò ſignatus nomine morbus, Molliter hic quoniam, celſa curetur in aula, inquit Serenus. Hoc idem Cornelius Celſus. Debet enim omnibus curis eſſe vacuus ac ſolutus ictericorũ animus. Quin & ſplendido conclaui, laſciuijs, cantu, iucundis quoque ſermonibus laxandus eſt. Varro quia curetur mulſa, morbum regium dictum exiſtimat. Vocatur & hic morbus Arquatus vel arcuatus. Icterus, quia ictida, hoc eſt viuerram animalculum, quo cuniculos excludunt: vel galgulam autem colere repræſentet. Qua ratione & Aurigo nominatur.

CAVſa ferè obſtructio, nonnunquam inflammatio aut intemperies hepatis: & obſtructio quidem, vel hepatis, vel pororum bilis. Lapillus aliquando concretus eſt in folliculo fellis, aut adnatum tuberculum. Nonnunquam, quia cyſtis fellis multitudine intercipitur, vel quod vis eius excretrix infirma eſt. Venena Cauſa.

quoq; aut bibita pharmaca, nec per aluum reddita, huius vitij causa extiterunt.

Signa. PRImum itaque est vt causam noscas: deinde vt eandem tollas, postremo icterum curabis. Interrogabis ægrum, num sentiat grauitatem, tensionem, dolorem in dextro hypochondrio: manum quoque admouebis, vt intelligas, num tumor & durities aliqua subsistat: quæ omnia si absunt, & excrementa alui, vrinæ similiter naturaliter habent, iudicabis incolume iecur esse, cæterum effusam in corpus bilem, quæ colorem defœdauit, & quia crassior est exhalare ac resolui non potest.

Curatio icteri cũ hepar sanũm est. His ergo victum liquidiorem atque humidiorem imperabis, balnea aquæ dulcis, in quibus quæ detergent ac resoluunt incoxerint.

Signa obstructi hepatis. Si verò adsint prędicta signa, venterque subsistit, albida excrementa sunt, cineritia & argillosa, vrinæ spissæ, colore croceo saturatæ, aut etiam nigræ, tùm obstructionis certum indicium est. Inflammatio perpetuo cum febre est, de qua prius: obstructio ergo curetur, deinde delebitur icterus.

Curatio. Primum itaque aperientibus & detergentibus insigniter liberanda est obstructio. Verum si qua suspicio excrementi in ventre & primis venis, caßiæ aut catholici ℥ j. ex sero lactis imperabis. Et quia in hoc morbo, aluus

ferè

ferè aſtricta eſt, vtiliſsimus eſt clyſter, cuius clyſteris materia ſit ex his, quæ ſtercus durius emolliant, quæ reſiſtentem bilem irritent. Sic enim placuiſſe veteribus Aphrodiſeus ſcriptū reliquit.

℞ ergo maluæ, biſmaluæ, violariæ ana M. j. fur furum pinguium M ſ. fiat decoctio ad ℔. j. plus minusue: in qua diſſolue mellis commu nis, ſacchari rubri, ana ℥ j. ſalis communis ʒ ij. olei communis ℥ iij. Hæc eſt formulá, qua per interualla vti oportebit, vbi diutius venter reſtiterit.

Venæ ſectio.

POſtea ſi ſanguis multus eſt, baſilicam aut venas extremæ manus aperies, ac pro ratione educes. Solitæ quoque hæmorhoides incitandæ ſunt, & menſes in mulieribus. Venæ ſub lingua, non niſi inclinante morbo aperiri debent, tum enim ea phlebotomia tempeſtiua eſt.

Purgatio.

TVM de purgatione agendum eſt. Verum meminiſſe oportet, nunquam vtendum purga tionibus, obſtructo hepate inſigniter, niſi prius viam feceris aperientibus & detergentibus.

Aperientia.

Aperiunt oxalis, cichorium, endiuia, apium, adiantum, calamintha, fœniculum, gentiana, anchuſa, ariſtolochia, melanthium ſecuridaca, chamæpitys, roſmarinum, ſerpillum, hypericon, marrubium, aſarum, aniſum,

petroselinum, amara omnia: aromata, terreni vermes, cornu ceruinum, ebur, cornu vnicornis. Quorum omnium herbas semina, radices aqua incoques, aut vino tenui, atque inde cum saccharo, vel melle potiones comparabis, aut redacta in puluerem ad ʒ ij. mulsæ aut vini albi tenuis, & similium ℥ iij. aut iiij. insperges.

Syrupi in vsu sunt de cichorio, endiuia, capillis Veneris, de byzantijs, de duabus & quinque radicibus, syrupus acetosus, de acerbitate citri, oxymel simplex.

Aquæ verò endiuiæ, cichorij, lupulorum, cuscutæ, fumarię, capillorum ventris, acetosę, scolopendrij, raphani, apij, fæniculi, lappæ, rubiæ, libistici, eryngij, rusci, aspargi & similium. Oportetque initio primum vti leuioribus, idque per interualla. Acidus enim aperientium vsus vehementer lædit, atque vbi his vsus fueris, purgationes imperabis.

Purgam. ℞ seri lactis ℥ iiij. in quibus per noctem maduerint ʒ ij. cartami conquassati: ℈ ſ cinnamomi vel ireos florentinæ: alioqui rhabar. ʒ ij. infusas in aqua endiuiæ cum modico cinnamomo: idem pondus hieræ picræ, hieræ diacolocynthidos conuenire potest. Alioqui.

℞ pulueris hieræ diacolocynthidos ℈ iiij. rhabarbari electi ʒ. j. cornu cerui, rasuræ eboris, cinnamomi ana ℈ ſ. dabis ex sero lactis aut

aqua

aqua hordei. Tum ad aperientia redeundum eſt, & iterum purgandum interuallis.

QVOD ſi his malum non cedit, medicamentis vtendum erit quæ fortius aperiunt & detergent, atque iam diagridio, colocynthide cathartica acuenda ſunt: vt proximis grana viij. vj. iiij. diagridij admiſcenda ſint. Alioqui. Si morbus contumatior.

℞ diagridij ℈ j. florum anthos, borraginis & violarum ana p. ſ. cinnamomi, aſari, radicis gentianæ ana grana viij. fiat infuſio in ſero lactis, in colaturæ ℥ iij. diſſolue ſacchari ℥ ſ. fiat potus. Vomitus quoque etiam cum elleboro, de quibus antea, probati ſunt.

ITA curato viſcere color fœdus pellendus eſt thermis ſiccis, deinde balneo ex chamæmelo, anetho, calamento, roremarino, parietaria & furfuribus: ſtatimque à balneis linteis aſperis & materia balnei perfricandum corpus eſt. Potiones ex ſupra dictis aperientibus & detergentibus exhibendæ. Sternutatoria & errhina, qualia prius deſcripta conueniunt. Curatio fœdatæ cutis.

Oculi & facies aceto albo, aqua hordei, ſucco granatorum, oxyſacchara, ſucco coriandri, acetoſæ, acetoſitate citri, his quidem tepidis & fouenda ſunt & contingenda. Nunquam autem ad fœditatem coloris venies, niſi ſublata Oculorum & Faciei cura.

causa & curato viscere.

Ad hepatis duritiem. QVOD si durũ hepar est, fouebis ex aceto, in quo althææ & lilij radices, ficus passulæ coxerint, tùm ℥ iij. emplastri de meliloto, vel dialthææ, malaxatis oleo amygdalorum dulciũ induces, vel ammoniaci ℥ ij. in aceto dissolutas applicabis. Superioribus remedijs uteris, admixtis ijs quæ leniunt & emolliunt.

Icterus à materia venenosa. IN materia venenosa initio quidem vomitus, si eò materia vertitur: si ad intestina, clyster acris: si in habitum corporis, cucurbitulæ cum multa flamma conueniunt, & ea omnia quæ foras materiam attrahunt. Ex quo syrupi acetosi, de limonibus, oxysaccharæ, acetositatis citri vsus conuenit, cum aquis acetosæ, endiuiæ, calendulæ, papaueris rubri, dictamni, tormentillæ, succo granatorum, berberorum, limonum, citri, lacte acetoso in quo flores cordiales leuiter bullierint. Deinde & rasuræ cornu vnicornis, cornu ceruini, eboris, electuarij de vino, paulò ante descripti, theriacæ & mithridatici vsus: dantur quotidie ℈ ij. aut ʒ j. cum ℥ j. acetositatis citri, aut liquore conuenienti.

Cutis fœdata in uirginibus. Virginibus quas hoc vitium defœdat, purgatio ex hiera imperatur ʒ j. ſ. ex aqua alkekengi, cuscutæ, endiuiæ, oxymelite: Alioqui.

℞ pul-

℞ pulueris hieræ picræ ℈ iiij. rhabarb. electi, agarici trochiscati ana ʒ ſ. raſuræ eboris & cornu cerui ana ℈ ſ. cinnamomi grana viij. croci grana iiij. incorporentur omnia in ℥ ſ. catholici, deinde diſſoluantur in ſero lactis, aqua cuſcutæ, aſparagi, aut liquore ſimili. Imperetur quoque hoc electuarium.

℞ elect. diatriumſantalorum, diarrhodon abbatis ana ʒ ſ. vtriuſque diamargaritonis, ana ℈ j. raſuræ eboris & cornu cerui ana ℈ ſ. ſacchari in aqua cuſcutæ & roriſmarini diſſoluti quantum ſatis eſt, fiat electuarium per lozangias, ponderis ʒ j. dentur mane & veſperi, per ſe, vel cum liquore conuenienti in cochleari: Alioqui. Electuariũ.

℞ radicis gentianæ in puluerem redactæ ℈ iiij. cornu cerui & raſuræ eboris ana ℈ ij. cinnamomi ℈ j. ſacchari ℥ ſ. detur ſæpe medium cochleare ex vino albo tenui. Vtantur quoque per interualla decocto cicerum rubrorum, in quo radices petroſelini & cichorij coxerint.

DE HEPATIS OBSTRVCTIOne. *Caput* XXXIIII.

OBſtruitur hepar à craſsis flatibus, ſed facilè diſcutiuntur: non ita facilè à craſsis viſcidiſque humoribus, fereq́; ſentitur lanci- Cauſæ & ſigna.

nans dolor aut grauis, aliquando tensio, facies malè colorata est, squallor cutis & pulsus inæqualis, spiratio etiam aliquando difficilis, excrementa à natura euariant, fereque liquidiora sunt.

Curatio

CVRATIO magna ex parte ex proximo cap. repetenda est. Incidendum, aperiendum, detergendum, à quo purgandum est, & si numeri (reliqua) consentiũt, è basilica aut venis extremæ manus, sanguis educi debet, nisi à suppresśis mensibus, aut mariscis malum natum est, tum enim venæ cruris potius incidendæ sunt.

Venæ sectio.

Materia incidentium, aperientium, ac detergentium proximo capite descripta est. Peculiariter conueniunt syrupus acetosus, oxysacchara, syrupus capillorum Veneris, de cithorio, de endiuia, oxymel simplex, quibus initio, & vbi caloris suspicio, vtendum est. Item oxymelite scyllitico, syrupo de byzantijs, de duabus & quinq; radicibus, cũ aquis cuscutę, fumariæ & alijs. Probatum est hoc à multis.

℞ aquæ decoctionis hordei ℔ viij. aceti ℔. i. vini granatorum ℥ iiij. sacchari mellis albi ana ℔. j. fiat Iulep clarificatum & aromatisatum cum modico cinnamomi, vtatur ℥ iij. mane & vesperi.

Purgatio.

Purgatio ex hieræ ʒ ij. cum oxymelite, aut quæ

quæ in fœdis virginũ coloribus descripta est, ex rhabarbaro & agarico, addito aliquando diagridij momento, talesq; erunt pilulæ.

℞ rhabarbari ʒ j. agarici ℈ ij. diagridij gr. iiij. cum oxymelite, formentur pilulæ, vel dissoluantur in liquore conuenienti.

CONTRA obstructiones certissimum remedium esse volunt, frequentem vsum huius pulueris.

℞ electuarij diarrhodon Abbatis, diatriũ santalorum, rosatæ nouellæ an ʒ ij. detur ʒ j. in cochleari cum gr. vj. mali granati. Aliud. Ad obstructiones remedium certum.

℞ succi granati acidi & dulcis ana ℥ j. s. residean per noctem in salubri loco: postridie addatur oxymelitis ℥ j. fiat potus. Aliud.

℞ succi endiuiæ cocti & depurati ℥ j. oxysaccharæ simplicis ℥ ij. liberalis obstructiones, calorem temperabis, roborabis viscus, putrida excludes. Filicis radix & semen securidacæ plurimum probantur antiquis.

DE HYDROPE.
Caput XXXV.

HYdropis tria genera: Ascites ab vtre, quia venter aqueo humore & seroso plenus, vtrem repræsentat. Commotus his venter fluctuat, quomodo vesica ex dimidio plena. Continetur aqua inter epiploum & peri- Ascites.

toneum, quanquam & portio excurrit in ſpatium epiploi & inteſtini, cum à liene, colo, tenuique inteſtino, vel ijs partibus, vnde epiploum enaſcitur, malum ortum eſt.

2 Anaſarca. Alterum genus hyderos, aqua inter cutem quæ & λευκοφλεγματία καὶ ἀνασάρκα, cuius materia iam craſsior eſt, effuſa in cutem atque carnoſum genus totius corporis. Hic ſi digitum imprimas, veſtigium fit cauum.

3 Tympanites. Tertium genus eſt tympanites, in quo plurimus flatus humori commixtus eſt, vnde diſtentio ventris, qui percuſſus ad inſtar tympani ſonitum reddit.

Cauſæ. CAVSA hepar eſt omnino refrigeratum, vel primario vel per cõſenſum cũ ventriculo, liene, lactibus, tenui inteſtino, colo, renibus, vtero, pulmone. Naſcitur hęc affectio ex immodica euacuatione, aut eadẽ longius ſuppreſſa.

Curatio. COMmunis ferè curatio medicamentis hydragogis, quæ aquas vel pituitam ducant, diureticis, topicis, & externis remedijs, quæ humorem ſiccent ac reſoluant, quibus ſi nihil proficitur, ferro & igne vtendum eſt.

Phlebotomia. LEVcophlegmatiæ peculiariter conuenit phlebotomia, & ea quæ magis incidant: vt tympaniti quæ flatus diſcutiant. Phlebotomia igitur in ſolo hoc genere aquæ intercutem locum habet: nec hoc quidem perpetuò, ſed ſi

otio

otio & anteacta vita, si suppressa aliqua solenni vacuatione vitium natū est. Morbi initio, prius quàm in cachexiam abeat morbus, integris viribis, hoc Hippocrati, Asclepiadi & Galeno visum est. Oportet autem neq; semel, neque copiosè detrahere, sed modicè atque per interualla, fereque placuit, vt è malleolis detraheretur sanguis.

LEVIbus pharmacis & per interualla datis euacuandi, vt octauo quoq; die, vel duo decimo, vt vires tolerant. Purgatio.

℞ benedictæ ℥ ſ. dissolue in sero lactis.

Pilulæ de rhabarbaro maximè laudantur, quæ aliter à Rase, alter à Mesue describuntur. Pilulæ ex Rhabarbaro. Præferendæ sunt Rasis, quæ recipiunt rhabarbari, succi agrimoniæ, seminis endiuiæ ana ʒ. iij. agarici ℈ v. foliorum laureolæ infusorum in aceto & siccorum ʒ x. fiant pilulæ. Dedit Rasis ʒ ij. ſ. sed ʒ j. satis esse potest. Leuiores fient si sine folijs laureolæ formentur, è succo ireos, in quo mesereon, laureola, vel euphorbium maduerit. Similiter pulueris hieræ ʒ j. agarici troschiscati ℈ j. cum oxymelitæ formentur pilulæ. Quod si in oxymelite proximè dicta maduerint fortiores fient. Aliquando vti licet puluere diacolocynthidos ℈ iiij.

℞ seminis cartami conquassati ʒ ij. aut iij. ireos florentinæ ℈ j. cinnamomi ℈ ſ. infun- Succus radicis iridis

dantur per noctem in ℥ iiij. ſeri caprini.

Frequentiſsimus vſus eſt ſucci radicis ireos per reſidentiam depurati, & eius quod ſupernatat, capiantur ʒ ij. ℥ ſ. aut ʒ vj. cum æquali menſura aquæ mellis, aquæ deſtillatæ è terebinthina, ſeri lactis. Quod ſi ab hepate metus eſt, ne pharmaco lædatur, admiſcendum aliquid, vt ℈ j. electuarij diatriaſantalorum, vel diarrhodon Abbatis. Et hoc quoq; laudatū eſt.

Ius galli decrepiti.

℞ polypodij quercini ℥ ij. ſeminis cartami ℥ ſ. ſeminis aniſi & fœniculi ana ʒ j. conquaſſata omnia in nodum, linteolo conſtringantur & vnà cum gallo decrepito coquantur, ius galli ſorbeatur.

Aquas ducentia.

Aqua extillata è purpureis floribus ireos data ʒ vj. vel ℥ j. quantitate, cum ℈ j. electuarij diatrium ſantalorum & gr. viij. cinnamomi: efficaciſsimè aquam hydropicorum ducit. Laudantur aquæ alkekengi, medij corticis ſambuci, eiuſdem radicis, ebuli, aut ex eorundem floribus, ſmilacis hortenſis, iuniperi, raphani, cuſcutæ.

Cæterum cathartica eiuſmodi, quæ aquas è corpore purgant, electuarijs diatriaſantali, diarrhodon Abbatis, ſquinantho, ſpica, ſantalis meliores reddes.

Cucumeris agreſtis vſus.

Cucumer agreſtis in frequenti vſu fuit & Græcis & Arabibus, quo ſic vtendum eſt.

Corticis radicis cucumeris agreſtis ℈ j. infria-

infriatum insperge mulsæ, sine molestia pitui tam ducit, nec stomachum lædit. Secretum non reuelandum.

℞ succi cucumeris asinini & radicis eius, succi laureolæ, succi ireos purpureæ, succi ab sinthij & eupatorij ana ℥ iij. resideant, quæ su pernatat aqua, abijciatur: crassiori vero parti insperge rhabarbari, agarici, ana ℥ ſ. spicæ nardi, seminis endiuiæ, scariolæ, portulacæ, masticis, laccæ, tragacanthi, salis gemmæ, ana ℥ j. mellis collati ℥ ſ. in vase vitreo reposita agitentur sole vt fiat veluti conserua, detur ʒ j. per interualla. Secretum. Alij lappa

Optimum est vti sero lactis caprini, in quo maduerit cacumen absinthij, cuscuta, gr. x. alkekengi, fumaria, semen maioranæ, squinanthum, spica.

Non habet par remedium Rasis, Syrupus acetosus cum aqua cuscutæ, vbi & sitis extinguenda est, nec calefaciendum hepar, vb obstructio liberanda, & vrinæ deduci debent.

Grauiter sitiunt hydropici, quibus tamen potio danda est, non vltra quàm quòd vitam sustineant, Vinum album tenue, subausterum, in quod diuretica prius coniecta fuerint. Oxycrati vsus est, cum calor vehemens accessit, liquiritia adipsos apellata, quòd pro hibeat siti hydropicos. Sitis.

Vomitus. Probatur alijs Metrodori factũ, qui hydropicus, plurimũ quidẽ bibebat, sed statim reuomebat. In ijs igitur qui & facilè & sine molestia vomunt, probari potest, nam & vomitus vtilis est hydropicis. Clysteribus quoq; acribus & glandulis materia minuenda est.

Diuretica. DIVretica conueniũt, berula, iuncus odoratus, spica nardi, asarũ, phu, meũ, carpobalsamum, cassia, radix dulcis, rosa, semen hyperici, dauci, smyrni, petroselini, calamus aromataticus, seseli, cancrorũ fluuiatilium siccatorum puluis, cum æquali parte asari. Ita etiam erinacei siccati in sole ℥ j. mel scylliticũ, cantharides integræ, & alijs diureticis cõmixtæ, sed minima quãtitate, vt ad gr. v. Hæc aũt vel in puluerẽ redacta, vel cõcocta, dãtur, ex vino, oxymelite, mulsa, aquis cõueniẽtibus, quales prius enumeratæ sunt, & ca. de Oppilatione hepatis.

Abominabilis vrinæ potus, sed maximè probatus medicis: tolerabilior si ex puero impube distilletur cum melle, & alijs diureticis.

Topica. NEq; satis est phlebotomo, catharricis, diureticis, vomitu, clysteribus & glãdibus vacuare materiam, sed loca tumẽtia sacculis, vnctionibus, fricationibus, balneis, emplastris & alijs rebus huiusmodi resoluenda sunt.

SACculi fiãt è macribus furfuribus, milio, panico, sale, sulphure callidis, & ita appositis.

Sac-

Sacculi quoque ex arena & sabulo vel cineribus calefactis sæpius apprimantur. Balnea.

Materia balneorum & vaporationum in thermis siccis, aquæ naturales, salsæ, sulphurosæ, & reliqua eiusmodi, quæ si desunt, arte componantur, liquefacto sale sub quadruplo, eoq; plus minúsue, vel sulphure in aqua dulci: Possunt quoq; incoqui anethum, ruta, chamæmelum, calamenthum, maiorana, rosmarinũ, pulegium, fœniculũ, saturegia, hyssopus squinanthum, stœchas, & similia.

Sunt qui veluti arcanum probent lapidem serpentis. Coluber aquaticus à cauda funiculo cõstringatur atq; ita suspendatur, vt sit subiectum vas aqua plenum: euomet coluber lapidem, qui totam illam aquam consumet. Lapis è vinculo alligetur, & apprimatur ventri hydropici, paulatim aquam consumet. Lapis serpentis.

Laudatur oleum scylliticum, vel in quo decima pars euphorbij, meserei, vel laureolæ coxerit. Sit autem oleum anethinum, aut simile. Olea.

℞ terebinthinæ ℔. j. thuris, masticis, myrrhæ ana ℥ ß. ladani, nucis moscatæ, caryophyllorum, galangæ, zedoariæ, cubebarum, ana ʒ j. ß. foliorum laureolæ p. j. succi ebuli & cucumeris asinini ana ℥ iij. redigantur in puluerem quæ redigi possunt, misceantur, fiat distillatio in alembico, qua inungantur loca tu-

mẽtia. Cochleis tritis vti licet & emplaſtri modo affixis. Mirabile volunt hoc emplaſtrum.

Emplaſtrũ mirabile.

℞ thuris, maſticis, myrrhæ ana ℥ j. baccarum lauri ℥ ij. coſti ℥ ſ. cyperi ℥ j. ſ. ſtercoris caprini triti ℥ iiij. mellis quantum ſatis ad congregandum emplaſtrum.

Sinapiſmi.

Sinapiſmi, diaſpyrathun, capite de lethargo prius deſcripta, ſtercora animalium calida conueniunt: fricationes ex ſale in hydrelæo diſſolutis, vel ex medicamentis calidis ſubtiliter comminutis.

Veſicatoria.

PERSEuerante malo, phœnigmi ex radice ſchrophularię, ranunculorum & ſimilibus, emplaſtri modo impoſiti ad decem horas pręſcribendi ſunt. Oportetque veſicas configi, vlcera aperta conſeruari, ſuperpoſito folio braſsicæ vncto è butyro vel oleo, grano ciceris aut ceræ momento. Permittetur aqua fluere ad ſexaginta dies, alioqui cauteria inducenda ventri in ambitu vmbilici, & quibus partibus tumor eſt. Scarificationes quoque conueniunt.

Paracenteſis.

SED ſi nihil proficitur ijs remedijs, extremum eſt paracenteſis. De paracenteſi magna olim controuerſia, alijs medicis omnino reprobantibus, alijs approbantibus. Vtriuſq; ſectæ argumenta, colligit Aurelianus libro tertio χρονικῶν, capite de hydrope. Illos enim deterrebat

rebat quòd plerunque moriũtur omnes, qui puncti fuerint. Qui verò remedium temperabant neq; in omnibus vtebantur, atq; ita seruabant aliquos. Galenus, Paulus, Albucasis, Mesue, in ascite pungunt ad latera vmbilici, qua parte ilia inania sunt, & propè excarnes musculi. Alij quidẽ dextra parte si lien, sinistra, si hepar in vitio est. Alij verò ex eadẽ parte qua viscus est, à quo malum primum ortum est. Si verò intestina in causa sunt, quatuor digitis sub vmbilico, sed paululũ reducto phlebotomo in latus. Hippocrates intercutaneos pueros incidit, de locis in homine. Aurelianus consensu veterum in intercute magis quàm ascite paracentesim probauit. In aqua intercutem Asclepiades quatuor digitis supra talũ, tibiam compungit interiori parte, ea profunditate, qua vena inciditur. Qui locus compunctus, si parum aquæ reddit, femora, scrotum, pudenda, si quidem intumuerint, loca etiam supra manuum articulos incidenda sunt ex Zeonide & Hyppocrate. Formulam verò punctionis ex sexto Pauli & alijs collige.

Tempestiua autem est pũctio prius quàm in cachexiam morbus abierit, firmis viribus, iuuenili corpore, si atra bilis hydropem non contraxit, si validus stomachus, si æger non febrit: aut si febrit, remissionis tempore. Hæc Qui pungendi.

omnia prouidenda ſunt prius quàm de paracẽteſi decernas, alioqui temeraria via eſt. Quę etiam ſi adſunt, præmonendi tamen amici ægri, quanto cum periculo remedium tentetur: tentarique debet vbi alijs remedijs nihil profectum eſt.

DE SPLENITICIS
Caput XXXVI.

Spleniticiqui. SPleniticos appellãt, quibus induruit lien, grauitas in latere ſiniſtro ſentitur. Difficultas eſt anhelitus, ſitis, oris ſiccitas, pedum inflatio, color plumbeus, decubitus in ſiniſtrum latus grauis, extat durities oblonga, dolor ad iugulum ſiniſtrum tendit, pediculis ſcatent, nocte ſudor grauis, fœtet anima, pudenda turgent, erumpit ſanguis, gingiuæ corrumpuntur, venæ ad lienem nigricant, & ſqualeſcit cutis, vlcera maligna in tibijs naſcuntur. Quorum aliqua vel omnia lienoſos produnt.

Curatio. INITIO molliendus venter caſsia vel catholico. Quod ſi in inferiori parte viſceris ſcyrrhus eſt, clyſteribus vtendum erit.

Venæ ſectio. POST hæc phlebotomia conuenit è baſilica ſiniſtra, in duos dies diuiſa vacuatione, amplo foramine. Quod ſi vires ſuſpectæ ſunt, vena quę ad medium digitũ vel minimum venit, incidenda eſt. Alij venam poſt aures diuidunt, & ſanguine qui effluit, lienem inungũt.

Vete-

Veteres enim naturali quadam ratione atque beneficio conſtare crediderunt, ſuperfluum ſanguinem languenti membro præſtare medicinam, quod etiam veterinarij retinēt. Conſtat quoque certo experimēto, venas apertas, quæ ad lienem nigricant, vehementer pro fuiſſe, vt inde inueteratum malum & contumax omnino curatum ſit. Iiſdem venis ſangui ſugæ & cucurbitulæ cum ſcarificatione affigi poſſunt. Sed hæc localia remedia iam bene vacuato corpore conueniunt.

PVRgandum quoq; corpus eſt, idq́; interuallis, pharmaco quidem per os ſumpto, ſi quidem magnus tumor eſt, aut ſuperiori parte viſceris. Clyſteribus verò, ſi & exiguus tumor, & inferiore parte viſceris collocatus. Euacuatio.

Diuretica non ita proſunt, quia à liene ad renes non ita comparata via eſt. Cæterum iuuare poſſunt alia ratione, quia videlicet incidunt & aperiunt. Diuretica.

Potiones & melicrata ex cortice radicis capparis, ſcolopendriæ, capillaribus, roremarino, radice tamariſci, ſemine agni caſti, endiuiæ, ſcariolæ, portulacæ, ſeminibus illis maioribus & minoribus, cortice & radice ſalicis, fraxini, geniſtæ & alijs, quæ capite de oppillatione hepatis deſcripta ſunt.

Purgationes ex epithymo, folijs ſene, pul

uere hieræ diacolocynthidos & alijs quæ capite de melancholia descripta sunt: ex sero caprino, aqua fabrorum, aut ea in qua chalybem sæpe extinxeris,

Aqua ex cotibus destillās inter acuendum.

Laudatur aquâ depurata, quæ è cotibus defluit cum enses acuuntur, lixiuium, oxymel, acetum scylliticum, syrupus acetosus, syrupus capillorum veneris, de pomis, aquæ & cætera, quæ partim capite de oppilatione hepatis, partim capite de hydropisi dicta sunt. Capparum vsus & oleo & aceto plurimnm laudatur, laudatur vas è ligno fraxini comparatum, quo vtantur dum bibunt. Corallus quoque tritus ex syrupo acetoso.

Durities lienis.

DVRIties verò, quod attinet ad topica, mollientibus, incidentibus, resoluentibus curanda est. Astringentia quoq; commiscenda, vt inde roboretur viscus, plus minúsue pro ratione fluxionis & infirmitatis visceris. Mollies hoc vnguento, incides ac resolues.

Emplastrū.

℞ olei de capparibus ℥ vj. medullæ vituli, pinguedinis anatis, ammoniaci in aceto dissoluti ana ℥ ij. aceti ℥ j. ceræ quantum satis est, fiat emplastrum molle ad formam linguæ bubulæ. Remollit butyrum, adeps, ex capite septimo, libri quinti de Simpl. & libri quuinti κατὰ γένη, aliaq; per multa. Radix lilij, maluæ, bismlauæ, brancæ vrsinæ, id est acanthi. Scyllæ quo-

læ quoque radices in oleo & vino austerocoquuntur ad consumptionem vini, deinde ad formam emplastri imponũtur. Ficus pingues similiter præparatæ, ammoniacũ in aceto dissolutum & ex oleo rosato, oleo in quo scolopẽdrium coxerit, oleo amygdalarum dulcium, de lilijs, de cucumere asinino, de hyperico, de behen, de capparibus. Cõuenit & emplastrum de meliloto, dialthææ, cerotum hyssopi, diachylon sine gummis cum mucilaginibus radicis althææ, lini, fœnugræci. Vbi iam remollita durities est, lapis molaris, pyrites, aut lapis alioqui durissimus aceto acerrimo candens extinguitur, linteis inuoluitur, & sępius apponitur, alioqui fumus excipitur. Sed ijs vtendum est solum, cum iam aliqua ex parte remollitus tumor est: à quorum vsu ad remollientia redeundum est, oportetque per interualla alternatim vti ijs remedijs. Postea verò fortioribus vtendum erit, ac primum quidem opopanax ammoniaco miscendus est.

℞ ammoniaci ℥ j.ſ. opopanacis ℥ ſ. dissoluantur gummi in aceto, deinde malaxentur cum oleo de cucumere asinino. Iam quoque miscebitur emplastrum Agrippæ, & vt minuetur tumor, veniemus ad emplastrum de fermento, ad dropaces, ad sinapismos, ad cauteria tum potentialia, tum actualia. Sacculis quo- Fortiores.

que vti oportebit resiccantibus ac resoluenti-bus, nunquam tamen neglecto remollientium vsu. Sacculi.

Sacculi. ℞ milij parum conquassati p.ij. salis p.ſ. torrefiant in tegula calida, fiant duo sacculi longitudine dimidij palmi, interpastati in linteo trito & raro & perfumigati cum aceto acerrimo, in quo lapis durissimus & igne candens extinctus sit.

CONTRA RVGITVS ET FLVctuantem aquam è regione lienis. *Caput* XXXVII.

Causæ. FRequens hoc malum est ortum à frigore, quod post plenilunia, frigidiore cœlo, post vsum aquæ & frigidiorum, magis apparet.

IN hoc casu purgandum corpus est per interualla ex hiera tum simplici tum diacolocynthidos. Vel.

Purgatio. ℞ aloes succotrini ℥ iij. rhabarbari electi, agarici trochiscati ana ℥ j.ſ. ceterach, scolopendrij, seminis agni casti, & endiuiæ ana ℈ ſ. cinnamomi, asari, spicæ, rasuræ cornu ceruini, rasuræ eboris, coralli, ana gra. viij. cum aceto scyllitico, formentur pilulæ vtatur ℥ j. singulis hebdomadibus. Exciccanda quoq; aqua sacculis.

Sacculi aquam exiccantes. ℞ cumini p.ij. seminis agni casti, seminis rutæ, ana

tæ,ana ℥ j grosso modo conquassata & in tegula siccata,duobus sacculis,vt prius includantur,& calidi sacculi alternatim applicentur.

Vaporatio quoque conuenit ex durissmo lapide candente extincto in aceto, in quo ebulus,folia salicis & scolopendrium coxerint. Vaporatio

Vnctiones quæ in ascite. Radix acori in aceto cocta tum addita octaua parte seminis nasturtij,emplastri modo imponitur. Lepidium quoque per se tritum & calido aceto mersum. Videndum tamen ne refrigescant.

Conueniunt spleni à proprietate,splen asini domestici & syluestris,pulli equini,vespertilionis decollati corpus:cremantur hæc in vase testaceo.℥ j.pulueris, vel eo plus,ex oxymelite imperatur. Splenitica à proprietate.

DE DOLORE COLICO A MATEria phlegmatica. Caput.XXXVIII.

Colica à phlegmate.

COlicæ multiplex causa est. Ac primum de phlegmatica. Itaque colligitur pituita crassa & frigida, atque aliquando vitrea, otio,intemperante vita,obstructis vijs per quas bilis in intestinú defluit. Hinc dolor excitatur quasi infixi pali, certoque loco insistit:sed vt plurimum ad inguen sinistrum & vtrunque renem ascendit,vbi angustius est. Quæ angustię efficiunt aliquando,vt hac parte dolor colicus

grauius intendatur. Hinc ad ſplenem & ventriculum iam laxius extenditur, ſubitque hepar, hæretq́; aliquando cyſti fellis. Poſtremo in dextrum ilium deſcendit, vbi deſinit in cæcum quod ad renem dextrum poſitum eſt.

Signa.

Dolor hic fixus, vt in anguſtijs quæ ad ſiniſtrum renem ſunt, nephriticum dolorem repræſentat, vt etiam peritos Medicos fallat. Sed in nephritide vrinę tenues, albæ, poſtea etiam cum aſperò & ſabuloſo ſedimento: dolor ad coxas extenditur, fomentis & cataplaſmatis mitigatur, inde laxatis vijs non cõmutat locum, aut ſi commutat, perinœum & vię vreterum affliguntur. In colico hoc dolore vrinæ tinctæ & ignitæ, quæque bilioſam naturam falſo repræſentant. Impoſtura fit, quia bilis quæ ad inteſtinum defluebat, interceptis vijs ad renes diuertit, præcluſæ viæ ſunt, vt neque ructus, neque ſtrepitus ventris exire poſsit. Stercora ſine ſucco, plena flatibus, ſimilia bubulis, quę in iecta aquæ conſiſtant, nec in fundum demergantur.

Diſtinctio nephritidis & colicæ.

Cauſa mali humor ille frigidus affixus inteſtino, ſymptoma verò dolor eſt: qui ſi vrget vehęmentius, prius quidem leniendus eſt quàm affectui conſulas.

Doloris ſedatio.

QVAE doloris gratia imperantur, ea prodeſſe ſolent vel quod intemperiem corrigunt, vel

vel causam auferunt, vel leniunt atq; contemperant, aut stupefaciunt. Narcoticorum vsus in hoc genere colici doloris omnino suspectus Gręcis, permissus Arabibus. Optimum genus est, quod simul & causam tollit, & dolorem attemperat: Secundum, quod attemperat.

Remedia verò multiplicia: Phlebotomia, purgatio, balnea, exterius admota medicamenta, cucurbitulę, potiones, amuleta, quę proprietate quadam colicos curant.

Phlebotomia omnibus ferè relicta est, Octa u us approbat, & nostra memoria efficaci admodum remedio, interim vsurpatur: multo magis, si dolor grauius vrit: si bene carnosum corpus est, si vires, ætas & cætera permittunt, remissionis tempore, è basilica dextra, auersionis gratia, angusto foramine & modica vacuatione, nisi febris adsit: tum enim multo liberius, atque etiam copiosius sanguis depleri potest.

QVOD ad purgationem attinet, quia materia contumax est, incidentibus primum, cōcoquentibus atque detergentibus vtendū est, tum ratione vitæ, tum ijs quæ clysteribus inijciuntur, atque etiam exterius admouentur. Medicamenta.

Conueniunt ergo origanum, menta, pulegium, marrubium, hyssopus, thymum, maiorana, ammi, beta, rosmarinum, enula, radix pœo Simplicia.

nię,ſcordium,ſeſeli,ruta,libiſticum,anethum, chamęmelum,aſparagus,aniſum,carui,& dauci ſemina,vinum tenuę odoriferum,zedoaria, galanga,caſtorium, gallia, aromaticum roſatum,puluis ducis,mithridatium,theriaca,confectio de baccis lauri,mel anthoſatum. Centaurium minus, vrticæ ſemen, aſarum,betæ ſuccus,mercurialis, ſal,ſulphur,ius galli antiqui, ficus ſiccæ,cartamum. Sed hæc claſsis poſterior ſimplicium deterget magis. Iiſdem quoque ſcopis hieram,polypodium & ſerapinum commiſcemus. Olea conueniunt anethinum, rutaceum, & in quibus ſuperiora coxerint. Fortius eſt petroleum, oleum de caſtorio, de euphorbio, piperibus, ſæpeque gummi in oleo diſſoluimus,vt galbanum,ſerapinum,quale hoc eſt.

℞ galbani ℥ ſ.diſſoluatur in olei rutacei ℥ iij.aut circiter, aliquando etiam & moſcum & algaleam & cibetam,ſed minori modo in oleo diſſoluimus,quale hoc eſt.

℞ cibetæ grana iiij. aut vj. diſſoluantur in oleo rutaceo. Diuitibus moſcus & algalea eodem modo diſſoluantur. Eiuſmodi olea vel cũ clyſteribus inijciuntur,aliquando quidem per ſe,aliquãdo cum decocto conuenienti: iiſdem ea pars in qua dolor eſt,inungitur.

Cæte-

Cęterum oportet hoc in primis animaduertere, vt & incidamus & concoquamus citra calorem vehementem, & ijs quę minimè inflant. Calidiora verò conueniunt iam purgata materia, vt inde relicta intemperies corrigatur. Melicrata ex supra dicta materia imperari possunt, & hæ potiones plurimum laudantur.

℞ summitatum absinthij p. j. seminis cumini ʒ ij. feruefiant in vino tenui, odorifero, expressio bibatur. Aliud.

℞ aquarum cordialium ℥ ij. aquæ nepetæ ℥ j. in quibus dissolue theriacæ aut mithridatij, ℈ ij.

℞ vini maluatici ℥ ij. calami aromatici ʒ ſ. croci grana iiij. ferueant leuiter in calidis cineribus, colatura bibatur. Similiter ex galangæ & cumini ana ʒ j. feruefactis cum vino albo tenui. Vinum absinthites ab Aetio plurimũ laudatur. Alij recte quidem adijciunt cumini momentum, vel ʒ j. quæ feruefiat in eo vino. Vinum absinthites.

Cucurbitula ampla, & cum multo igne medio vmbilico affigi debet, coquit enim: sed vtilior vsus eius futurus est, si primum impleatur vino calido, in quo aliquid ex supra dicta materia coxerit, & ita calida affigatur. Vtile quoque fuerit alliorum succo aut re simili inungere parte interiori. Cucurbitula.

Vbi materia iam attenuata & ex parte co- Euacuatio

cta partim clysteribus, partim catharticis subducenda est.

Clysteres. Inclysteribus ex supra dicta materia compa ratis mellis antho sathi ℥ j. olei conuenientis, vt anethini vel rutacei ℥ iij. dissolui debent. Aliquid quoq; salis, vt ʒ ij. potius quàm nitrum, quod ventrem subuertit, dissoluendum est.

PRO cedente etiam malo ʒ ij. iij. aut iiij. pulueris hieræ picræ, aut ℥ j. vel ʒ vj. hieræ, diaphœnici quoque ℥ ß. aut tantundem terebinthinę adijci possũt. Veteres clysteres impe rabãt crassiore substãtia ex solo interim oleo, modũq; faciebãt ad heminas duas, hoc est, ad duas libras, aut nostro more ad quartaria sex.

Purgationes. PVR gatio leuis esse debet, quales sunt hæ frequentatæ pilulæ:

℞ hieræ picræ ʒ. ß. cum vino albo tenui fiãt tres pilulæ, coopertæ folijs auri: Paulò fortiores, si tantundem addas rhabarbari, oportetq; à leuioribus ad fortiores progredi. Terebinthina quoque plurimum laudatur, daturq; ab ℥ ß. ad ℥ j inuoluta nebulis vt fiant (quod aiunt) morselli. Nonnunquam terebinthinæ, ʒ ß. hieræ aut rhabarbari incorporatur, vt sint terebinthinæ ʒ ij. vel iij.

FOR tioribus purgationibus vtendum nõ est, nisi vbi contumacius malum est, tumque vti licebit ʒ j. pulueris hieræ diacolocynthidos

coacta

cpacta in pilulas. Aliquando etiam adijci possunt diagridij grana iij.minúsue.

Laudantur purgationes quæ præter quàm quod purgant, etiam dolorem stupefaciunt, quibus vtendum erit nimium seuiente malo, qualia sunt.

℞ pulueris hieræ picræ ℈ iiij.opij,croci ana gr.j.vel ij.pro viribus,cogantur pilulæ cum vino. Similiter & supra dictis catharticis ℈ j. philonij commiscebis. Narcotica.

POST purgationes clysteribus, fomentis, balneis vtendum est, ijsque maximè quæ dolorem leniunt,qualia sunt chamæmelum,melilotum, anethum, althæa, semen lini, fœnugræci. Topica.

Tumque vtendum erit amuletis,quæ à tota substantia conueniunt.Intestinum lupi siccatum, tritum, datum ʒ j. pondere, aut ℈ iiij cum vino albo tenui, in quo chamæmeli flos. vel anethi efferbuerit. Vtuntur varie pelle lupi. Alij enim cubilium stragulas contra hoc malum inde comparant. Alij cingulum gestát, aut partem pellis ventri admouent. Nonnulli stercus lupinum album tritum ex vino albo tenui propinant. Meliora putant,si ossa in ster core inuenta, vnà conterantur. Idem stercus nucula includunt perforata,suspendũt è collo, vt ad ventrem,perueniat,atque ad id vtuntur Amuleta.

ligula de corio ceruino, aut filo lanæ ouillæ, quæ à lupo interfecta sit, vel vt alij volunt, quę à lupo euaserit.

Laudant & anguillæ sanguinem. Alaudæ genus cristatum, quod galerita dicitur, vstum, aut elixũ cum iure galli. Stercus gallinæ, quæ exercetur & nutritur ficciore pabulo, & oxycrato. Tunicæ interiores ventriculi erinacei: masculi quidem, in viris, fœminæ, in mulieribus, adiecta tertia parte eorum quæ incidunt, detergent, & alioqui colicæ conueniunt. Hæc probantur Græcis & Arabibus.

Curatio per narcotica.

ACERbius verò vexante malo, neque cedente alijs remedijs, narcotica permittunt Arabes, mixta pharmacis, vt prius, vel aliter. Ac primum quidem in clysteribus ex leniente materia capita papaueris concoquemus. Quibus si nihil proficitur, vtemur flocculis, qualis hic est.

℞ olei anethini ℥j. castorei ʒ ſ. opij. ℈j. misce, & in eo madefac flocculũ lanæ, quem è filo suspendes, suspensum impelles in anum, ac simul atq; acquieuerit dolor, retrahes: vel clystere veteris, cuiusmodi est veterum:

℞ olei rutacei ℔. j. opij, castorei ana ℈j. Sed posteritas medicorum oleo admiscet castorei ʒ ſ. opij grana v.

Per os verò conuenit philonium Rasis, cuius

cuius hæc descriptio.

℞ piperis, ameos, foliorum rutæ siccorum, menthastri, castorij, baccarum lauri, cumini, ana ʒ j. opij, mandragoræ, seminis albi hyoscia mi ana ʒ ſ. mellis ℥ j. in quo cætera incorporantur, datur ʒ j. Quod si catharticum voles efficere, adijcies diagridij ℈ j. Aliud Andromachi admirabile: Philonium Rasis.

℞ piperis albi ʒ j. opij ʒ ſ. croci gra. xviij. seminis hyoscyami albi grana xv. spicæ nardi, pyrethri, castorei, vel euphorbij ana grana iij. aut iiij. excipe melle cocto, dosis ℈ j. aut ℈ se. cum aqua frigida. Philonium Andromachi.

DE DOLORE COLICO A FLATI- *bus, Caput* XXXIX.

EAdem ferè curatio colici doloris nati è flatibus. Nam non alia re differt, quàm quòd in primo genere plus est materiæ, ventorum minus: hic verò intestina pluribus flatibus conturbantur, & vel nulla, vel exigua materia est. Propterea minor grauitas, distentio maior, vt aliquando parte aliqua venter in gibbum exuberet. Causæ.

SINgulare remedium est hic, cucurbitula ampla, imbuta, vt prius dictum est, medicamentis, quæ flatus discutiant, cum multa flamma medio vmbilico affixa.

Clysteres. Clysteribus primum vtendum est, qui fæces emolliant, qualis est ex hydrelæo melle & sale modico. Sed melius fuerit in ea aqua, vnde hydrelæon paratur, prius fuisse incocta, quæ flatus discutiunt. Sunt autem cuminum, ammi, amomum, seseli, daucus, anisum, fœniculum, petroselinum, carui, nigella, baccæ iuniperi, lauri, vrticę semen, ruta, calamenthum, pulegium, zinziber, caryophylli, calamus aromaticus, cinnamomum, piper, galanga. Hæc aromata vino tenui incocta, vel cum vino percolata plurimum conueniunt.

Flatus discutientia.

Victus. IIS autem vina optima, quæque tenui sunt substantia & odorifera non solum ægris, sed sanis conueniunt. Abstineant aqua, diluto vino, fructibus humidis & oleribus. Quæ ratio vitæ imperari debet & viris & mulieribus frigidioribus, quibus plurimi flatus toto ventre colligi solent. Hic etiam aristolochia, castoreo, euphorbio, quæ fortiora sunt, vti licet. Ex his omnibus & melicrata componi possunt, vina quoq; reddi efficaciora, condiuntur cibi, olea, vnguenta fiunt, sacculi & fomenta.

SED hic vt in reliquis generibus colici doloris, ratio habenda est mulierum grauidarũ, ne quid inijciamus, aut etiam applicemus, vel aliter imperemus, quod abortum faciat, quale est castoreum, euphorbium, amara omnia. Videndum

Grauidæ.

dendum rursus, ne nimium aperientibus vtamur. Sic enim fit, vt apertis orificijs vteri, sanguis effluat, & sequatur aborsus. Preterea neq; remolliendum, neq; relaxandum nimis: hinc enim dissolutis vteri vinculis aborsus fit.

DE DOLORE COLICO A BILE. *Caput* XL.

INedia colicos iuuat à frigida causa, lædit verò à calida. A materia acri vehementissimè cruciantur, vt vomitus biliosi, æruginosi, metus conuulsionis, & animi deliquia, sudores interim frigidi & febris.

HIS phlebotomia exiguo detracto sanguine conuenire potest: multo magis, si febris adest, aut inflammatio orta in intestino. Sed aliquando hic & in alijs generibus vrina ita supprimitur, vt inde periculum immineat. Qua in re è malleolo vena secanda est. Læduntur hi omnibus acribus & calidis, egentq; temperatis, deinde etiam frigidis. Curatio. Venæ sectio.

PVRgatio conuenit non molesta, nec aceruatim facta, sed interuallis ex ʒ ß. pulueris hieræ picræ, ℈ ij. ad summum, ʒ j. rhabarbari, cassia, catholicum ad ʒ x. (Rhabarbarum nunquam dandum vltra ʒ j. aut ℈ iiij.) manna ad ℥ ij. eaque dissolui oportet in aqua hordei, ptisana vulgari, sero lactis, decocto passula- Purgatio.

tum, prunorum, sebesten, violarum.

Clyster. Clysteres ex radice & folijs althææ, maluę, violarię, mucilagine seminis lini, althææ, psyllij, cydoniorum, adiecto interim capite papaueris cum vitellis oui, oleo violato, butyro recenti, adipe anseris, gallinæ, anatis, saccharo violaceo, aut melle. Atque interim suspicio est vlcerationis, tumq; plantago, rosæ, sumach & similia decocto clysterum miscenda sunt. Plurimum laudantur clysteres ex liquidiore hordeato, aut lacte amygdalarum dulciũ ad quartaria v. in quibus dissolues butyri recentis ℥ iij. sacchari viol. ℥ j. Qui clysteres, quia lenes sunt, si diutius retinentur, mel violaceum loco sacchari, aut etiam commune miscendum erit.

EAdem quoque alimenta sint, panis ex austero vino, aquæ frigidæ potus.

Inunctio ex oleo violaceo, butyro recenti, oleo chamæmelino, atq; etiam anethino. Sacculi & fomenta ex proximè dicta materia: Balnea aquæ dulcis.

Narcotica. NARcotica in hoc genere ferè necessaria. Verum Arabes corrigunt non castoreo, pipere & similibus, sed croco & stercore lupi. Quæ si medicamentis miscenda sunt, miscebuntur vt prius hierę, rhabarbaro, casiæ & catholico. Cætera quoque eadem ratione.

Sunt

SVNT & alia genera colici doloris, vt ab apostemate, vermibus, intestini descensu, indurata fæce, de quibus alio loco. Colicæ genera plura.

DE ALVI FLVXIONIBVS, ET PRIMO DE FLVXV CErebrali Cap. XLI.

FLuxiones alui partim vitio ventriculi & intestinorum, partim vitio materiæ excitari solent. Ea verò materia vel in ventre est concepta, vel aliunde translata, vel à cerebro, in fluxu cerebrali. Fluxionum alui causæ.

HVIVS modi fluxus euenire solet otiosis, intemperatis, ijs qui somno nimium indulgent, quique humidiore sunt cerebro, modo iuncta frigiditate, aliquando & caliditate: humida aeris constitutione, austrina, & maximè cum sequuntur aquilones, qui per austros, & cœlum pluuium collectam materiam, exprimunt in ventrem. Commouetur fluxio expergefactis & periodica est. Fluxus cerebralis.

Ex ratione materiæ cura instituenda est. Nam aliquando pituita dulcis est, aut expers qualitatis: aliquando salsa, acris & mordax, quæ distinguenda sunt & curanda ex ijs, quæ capite de catarrho scripta sunt. Nam sistendus est catarrhus, roborandum caput & ventricu- Curatio.

lus. Roborabitur ventriculus ea ratione, quæ præscripta est capite de Debilitate stomachi. Influit aliquando ab hepate, liene atque etiam vniuerso corpore, de quibus postea.

DE LIENTERIA.
Caput XLII.

Lienteriæ causæ.

ALui fluxus; qui lienteria appellatur; multas causas habet: Infirmitatem contentricis non solum ventriculi, sed etiam primorum intestinorum, è quibus fit alimenti distributio. Infirmitas ex intemperie nascitur: Intemperies aliâs simplex & sine materia, aliquando verò cum materia, quæ vt plurimum acida pituita est. Fit lienteria & ab acri humore, aut re alia eiusmodi, vim expultricem irritante, vt abijciat cibum, priusquam confectus sit. Res autem eiusmodi vlcera sunt saniosa; quæ ab alimento vellicantur. Quibus aliquando occasio est pharmaci portiuncula retenta in rugis & asperitate ventriculi: quod ab agarico, colocynthide, metallicis, & rebus quibusdam venenatis, vel non satis comminutis, vel maligna qualitate inferri solet. Duo hæc genera causarum Galenus adnotauit 12. Aphoris. lib. 4. & 32. lib. 3. & alijs quoque locis. Magna pars Græcorum, quique Arabes sequuntur, ventriculum putant viscida interim

pituita

pituita illini, aque ita rubricari, vt inde destructa asperitate & rugis ventriculi læuor quidam sit & via lubrica, vnde celeriter cibus defluat, nec posit contineri. Ex qua ratione lienteriæ nomen factum est, quod non ita approbat Galenus.

Lienteria post intestinorum vlcera.

Est & alia lienteriæ causa, post dysenterias & vlcera intestinorum; cicatrices fiunt, quę si obducantur osculis vasorum, per quæ à tenui intestino ad portas hepatis inuehitur chylus, defluit alimentum aliqua quidem ex parte, sed non omnino confectum.

Lienteria quid.

EST autem in genere Lienteria coctionis priuatio, cum celeriter alimēta excernuntur; neque consistentia, neque colore, neque odore, neque alia qualitate immutata: sed sub albida, maximè aquosa & liquida, nulla commixta bile, aut sanguine. Alimenti nomine non solus cibus, sed & potus audiendus est. In ea, quæ ab acri humore, doloris sensus est, qui si perseuerat, dysenteria fit. In imbecillitate nullus doloris sensus, & melius eunte morbo, acidi ructus commouentur.

Lienteriæ curatio.

CVRAtio tota in duobus est. Materia vitiosa vacuanda: deinde roborandus est ventriculus. Itaq; si materia acris est, infarcta tunicis ventriculi, & intestinorum, purgatione ex hiera & rhabarbaro vtendum est. Dissoluantur

Si ab acri humore.

itaque ʒ ij. aut iij. hieræ, aut ʒ j. eius pulueris in ſero caprino, decocto cicerum rubrorum vel abſinthij. Et quia puluis amarior eſt, adijciatur purgationi ex eo puluere, ℥ j. oxyſaccharæ ſimplicis, aut ʒ vj. ſyrupi de abſinthio, rhabarbari ʒ j. aut ℈ iiij. infuſi in aqua abſinthij aut liquoribus ſupra dictis. Veteres diſſoluebant in mulſa, cui & vis eſt detergendi, & leniendæ amaritudinis pharmacorum.

In craſsiore bile & contumacius hærente, veteres addebant ℈ j. ſcammoneæ. Nunc verò ſatis fuerit, ſi gra. iiij. diagridij miſceantur.

Ventriculi corroboratio.

VACVATA cacochymia, aſtringentibus vtendum eſt, ſed modicè, multo etiam minus, ſi qua febris ſuſpicio eſt. Probatum remedium antiquis ex tribus partibus ſucci granatorum acidorum, & vna ſucci mentæ ſimul coctis, deinde adiecto melle, vt fieret eclegma. Noſtro more vteremur ℥ j. oxyſaccharæ ſimplicis, ʒ iij. ſyrupi de menta vt per interualla, duobus aut tribus cochlearibus vteretur, aut vt eſſet liquidius medicamentum ℥ j. iulep roſ. admiſceretur.

Eclegma.

Probatum & aliud remedium ex cydonijs & malis granatis, vt eſſet vtriuſq; æqualis modus, tum coquerentur ad putrilaginem, atque expreſſo ſucco tantũ mellis miſceretur, quantũ ſatis eſſet ad eclegma. Noſtro more licebit

vti

vti ſyrupo de cydonijs, & oxyſacchara ſimpli ci, vtroq; ad ʒ vj. cum ℥ j. iulep. roſ.

EXTERIUS cataplaſmata, quæ in debilitate ſtomachi à calore dicta ſunt. Iis remedijs celeriter curari ſcripſit Galenus. Topica.

IN pituita eadem in genere conueniunt, quæ ſi craſſa eſt, oxymelite & ſimilibus primũ incidenda: tum ex hiera repurganda. Si verò tantum conſperſa tunicis ventriculi, ſolis ſiccantibus & calefacientibus opus eſt: vt confectionibus è ſucco cydoniorum cum aromatibus, quas prius è Græcis & Arabibus deſcripſimus. Curatio eius quæ à pituita.

VINO forti, antiquo, ſtyptico, ſed modica quantitate. Modus enim potus eſt, ne fluitet in ventriculo. Quod ſi cõſuetudo eſt, diluatur vinum aqua ferrata, in qua, vel cinnamomum, vel maſtix, aut vtrumq; coxerit. Potus.

Maſticis grana ij. vel iij. per interualla deuorantur, mirobalani chebuli conditi, zinziber conditum, & alia in debilitate ſtomachi à frigore enumerata. Similiter & quæ exterius explicãtur. Laudatur vomitus à cœna, & quia cibos non continent, fixa ingẽti cucurbitula, eo modo, quo cap. de cholera diximus, vt contineatur cibus procurandum eſt. Quod ſi ijs remedijs nihil proficimus, dropace, atque ſinapiſmo vtendum eſt.

DE DYSENTERIA.
Caput XLIII.

Causæ. HYeme aquilonia, vere australi & pluuioso, calida ęstate, ęstatis fine & autumno, dysenteriæ fiunt, otiosis, intemperatis, & quibusdam naturis peculiariter, vt lentiginosis. Nam antecedentibus anni partibus pituita crassa & viscida in intestinis colligitur. Quod si bilis non pro ratione è cysti fellis in intestinum defluit, nec iam pituitam pro consuetudine deterget, multo copiosior pituita in intestino, & bilis toto corpore asseruatur, accedítque cruditas. Hæc omnia æstiuo calore putrescunt, primúmque pituita illa acris euadit, intestinnm vellicat, fit deijciendi appetentia, inanis aliquando, at interim pauca, vel cum maximo conatu mucosa & similia albuminibus ouorum egeruntur. Fit etiam aliquando, vt acrimonia eius humoris clausulæ venarum intestini reserentur, & ita aliquid sanguinis vnà cum mucosis excrementis deijcitur. Hoc malum nō dysenteriā, sed tenesmon appellari volunt. Tum dysenteria est, cum bilis illa putris, magno impetu in intestinum confluit, & grauius exulcerat. Radit primum pinguia, quæ intestino adnata sunt, deinde ramenta, postremo etiam sanies effluit. Excrementa illa ferè spumosa, quia in dysenteria, & febris & inflam-

Dysenteria

inflammatio eſt. Itaque & motu & calore ſpuma excitatur. Omnis dyſenteria exulceratio inteſtini eſt; aliquãdo totius quidem, aliquando huius vel illius. Quod ad curationem, diſtingui oportet ex cap. 43. lib 9. Aetij.

CVRATIO eſt in phlebotomia, purgatione, clyſteribus, potionibus & externis remedijs. Curatio.

BENE carnoſo corpore, graui febre, atq; inflammatione, ſuppreſſa aliqua ſolenni vacuatione, ſanguine multo cum excrementis abeunte, conſentiente ętate & viribus, vena ſecari poteſt, etiamſi Galenus in commentarijs ad Glauconem, & libro de ratione victus in acutis morbis, repugnare videatur. Verum quia aſsidua egeſtione, perpetua vigilia, febre atq; inflammatione, vires maximè laborant, temperandum vacuandi conſilium eſt. Itaque alij humeralem, alij venas extremæ manus aperiri volunt, quia hinc minus virium cum ſanguine effunditur. Poteſt & baſilica aperiri, ſed anguſto foramine, & paulatim reuulſa atque etiam euacuata materia. In ſuppreſsis purgationibus inferioribus, venas malleoli aperiri iubent: Quod ſi fit, eò magis temperanda vacuatio eſt, quo hinc ductus ſanguis plus virium quàm è manu exhaurit. Phlebotomia. Locus Galeno aduerſarius.

EADEM quoq; controuerſia de purgatione. Sed iam indubitatum eſt, vbi & morbi ma Purgatio.

gnitudo, & cætera non repugnant. Nullum autem præſtantius pharmacum rhabarbaro, à quo purgatio non ſemel conuenit, ſed ſi res exigit, & vires permittunt, ſæpius repetenda eſt. In purgatione conſilium eſſe debet, vt obſtructiones liberentur, & via facta, redundans materia vacuetur. Nec de aſtrictione initio cogitandum eſt. Itaque ℈ iiij. plus minúſue rhabarbari imperantur. Infundantur in aqua endiuiæ aut re ſimili, quæ vim habet liberandæ obſtructionis. Aliquando ʒ vj. ſyrupi roſati de ſiccis, non tam aſtringendo quàm roborando commiſcentur. Nonnunquam etiam aromata, cornu ceruinum, cornu vnicornis admiſcenda putant: multo magis, vbi popularis dyſenteria eſt, & ſuſpicio virulentæ materiæ. Cornu ceruinum crematum prius, deinde elotum, dyſenterias ſanare ſcribit Galenus. Nec alia vis eſt vnicornis, niſi quòd arbitrantur, valere contra venena omnia. Itaque potioni è rhabarbaro, gr. iiij. vnicornis, aut plura, aut cornu cerui ad ℈ j. miſceri poſſunt. Practici plurimum vtuntur mirabolanis. Dioſcorides manifeſta quidem ratione agarici ʒ j. imperat, vbi mucoſa & pituitoſa deijciuntur, neque à ratione alienum eſt, vbi nō ita bilioſa ſunt excrementa, & obſtructiones multæ ſunt, deſcenduntque muculenta. Ex-

ta. Expreſsioni ℥ j. rhabarbari infuſi in aqua endiuiæ, aut cichorij, adijcere expreſsionem agarici trochiſcati pondere ℈ j. infuſi in melle roſato colato. Practici loco agarici expreſsione ℥ ij. aut iij. cartami in ſero lactis infuſi, aut melle roſato, vtendum putant, nonnunquam polypodio. Sed præ cæteris rhabarbari vſus probandus eſt, procedente morbo, infuſioni drachmæ vnius rhabarbari, ℈ j. eiuſdem in puluerem redacti, admiſcere licet. Poſtremo etiam torrefaciunt cum iam aſtringendi conſilium naſcitur.

QVOD ad clyſteres & cætera remedia attinet, videndũ eſt ne initio aſtringentibus vtamur. Aſtringentia febrem augent, & inflãmationem, vitioſam materiã prohibẽt ne effluat, eaque prohibita, regurgitat in partes ſuperiores. Hinc grauior febris incenditur, epilepſiæ fiunt & conuulſiones, aliaque eiuſmodi mala enaſcuntur. Adde quod aſtringentia inteſtinorum vlcera exaſperant. Sed aſtringentium tempeſtiuus vſus eſt iam euacuata in totum vel magna ex parte vitioſa materia, quoq; tempore iam excernitur, cũ vitioſo frugi ſuccus, & inde virium caſus metuitur. In aſtringentibus, quæ leuius id pręſtant meliora ſunt, deinde ad fortiora progredi licet, videndumq; eſt, vt aſtringentibus partim leniẽtia miſceamus, Aſtringẽtia

partim etiam ſi per os ſumuntur, ea quæ vrinas ducant. Sic enim fit, vt nullo periculo materia prohibita ad vrinas diuertat, ne refluat in partes nobiles & ſuperiores.

Diuretica. Hepatis cura & ſtomachi.

QVO tempore confirmandum hepar eſt, ne tam facilè humores recipiat. Quod efficiũt cerati ſantalini ℥ iij. malaxatæ cum oleo roſato, extenſę in aluta, vt fiat ſcutum ad modum creſcentis pro hepate. Cætera quoq; quæ cap. de debilitate hepatis à calida cauſa dicta ſunt. Eadem ratio ſtomachi & ventriculi habenda eſt ex ijs quæ proprijs cap. deſcripta ſunt.

Clyſteres.

CLYſteres primum leniant, deinde detergeant & abluant, poſtea etiam carnem regenerent & conſolident. In quibus ſi oleum diſſoluitur, dulce ſit, nō ſalſum: aut ſi ſalſum eſt, prius abluatur, vt ſalſuginē deponat, & omnē alienam qualitatē. Clyſteribus lenientibus optimum eſt admiſcere, quod inteſtinũ roboret. In detergētibus & reliquis, inteſtinorũ ſenſus & nuditas prius cognoſcenda eſt. Alia enim inteſtina vegetiore ſenſu ſunt, nec ita inducta pituita, non ita carnoſa, quibus conueniunt clementiores clyſteres. Clyſteres lenientes.

Clyſter leniens.

℞ roſarum M j. fiat decoctio in lacte recens emulcto ad ℔. j. ſ. colatura infundatur tepida, diu retineatur, dolorem mitigabis, temperabis ardorem, vlcera ablues & detergebis, illines

illines inteſtinum, ſolidabis, corroborabis inteſtinum, vim acrium humorum obtundes. Galenus, Oribaſius, Aetius ſolo lacte recens emulcto vſi ſunt. Alius.

Oleum roſarum ad ℔ j. leuiter calidũ pluribus horis retentum dolorem & inflãmationem mitigabit. Poteris addere ℔. ſ. olei roſati, decoctionem maluæ & fœnugræci, ſeminis lini, althææ, cydoniorum aut horum mucilagines pari mẽſura commiſcere. Alij ℔. j. olei amygdalarum dulciũ, mucilaginis, ſeminis cydoniorum extractæ in lacte ℥ iiij. adijciunt.

Conuenit lac amygd. vel oryzogala, hordeatum, auenatum, liquidiora ad ℔. j. infuſa cum butyri recentis ℥ iij. aut pari pondere adipis anatis, anſeris, gallinę pinguedinis hirci, caprarum. Iis enim tutius vtemur, ſi quæ olei qualitas ſuſpecta eſt. Amygdala & oryzogala leniunt magis & contemperant. Hordeatum etiam refrigerat: Auenatum ſiccat, conuenitque magis in tenuibus fluxionibus. Raſis non habere parem ſcribit in dolore ab acrimonia olei roſarum ℔. j. ſ. mucilaginis ſeminis pſyllij ℥ iiij. Laudatur & hic clyſter. Medicamẽtorum delectus.

℞ ſeminis lini althææ, pſyllij conquaſſatorum ana ℥ ſ. ſeminis cydoniorum, oryzæ & tritici in tegula toſtorum ana p. j. fiat decoctio in lacte ad ℔. j. ſ. in colatura fortiter ex- Clyſter.

pressa, dissolue seui hirci aut pinguedinis rasæ ex abdomine arietis ℥ ij. butyri recentis ℥ j. sacchari viol. ℥ j. ss. ouorum vitella duo. Vitella miscemus leniendo & vt diutius inhæreat intestino quod infusum est: Similiter & seuum & quicquid pingue est: Saccharum, & mel detergendo. Vtuntur albissimo sacchar vt lenissimo: grosso vero & rubro appellato vt magis detergente: hoc etiam magis melle rosato & communi. Celsus hoc clystere dolorem mitigat, appetentiam excitat.

Clyster Celsi.

℞ decocti foliorum rosarum quartaria v. vitella ouorum duo.

Ad tormina & flatus

IN dysenteria ferè tormina sunt, & flatus. Qua in re fumitatū anethi & chamæmeli, florum anthos & meliloti aliquid miscendū est.

Ad sanguinis excretionem.

Contra sanguinis excretiones tapso barbato, plantagine, bursa pastoris, centinodia, fragaria admiscetur.

Clysteres.

Clysteres detergentes aqua hordei, serum lactis cum melle aut saccharo rosato, similiter hydromel, decoctum cicerum rubrorum, parietariæ, furfurum, vinum rubrum, decoctum betæ, centaurij, radicis cucumeris agrestis, ficus pingues, absinthij, lupinorum, horum vnius quartaria v. aut ℔. j. in quibus dissoluenda ℥ j. mellis rosarum aut sacchari, aliquando ℥ ss. therebinthinæ liquidę cum ʒ ij. salis cōmunis,

nis, aut, vt & detergeas & lenias detergentia coquuntur in lacte. Fuerit quoque vtile rosas, plantaginem & similia astringentia admiscere vt robores: vt materia contumax est quæ inhæret intestino, plus minúsue detergebis.

Fortiores sunt clysteres ex vrina, lixiuio, muria, salsugine, aqua salsarum oliuarũ. Fortioribus vteris, vbi leuioribus nihil effectum est. Detergẽtibus dolor interim exasperatur. Itaque reddito clystere detergente, lac recens mulctum inijcies, aut clysterem qui leniat.

In carnosis intestinis regeneranda caro: in membranosis, consolidandum est. Carnem regenerabis clystere, qui primum abluat, deinde impleat carne. Ablues ex sero lactis & saccharo, ex vino calido austeriusculo, mulsa & similibus, deinde cõmiscebis ℥ ij. pulueris gentianæ, thuris, enulæ, tetrapharmaci ℥ j. vel eo plus, aut liquori commiscebis mellis, terebinthinæ & butyri ana ℥ vj. Optimumque fuerit hos clysteres diutius retineri, crassiores fieri additis ouorum vitellis.

Carnem regenerantes clysteres.

Consolidant & cicatricem ducunt decoctiones astringentium in quibus terræ sigillatæ boli armeni, sanguinis draconis, thuris, aut similium ℥ ij, vel eo plus misceantur.

Cõsolidantes clysteres.

Sunt aũt astringentia alia calida, alia frigida. Calida, nardi spica, absinthium, cinnamo-

Astringentia calida.

mum, caryophylli, calamus aromaticus, lignum aloes, gallia, thus, maſtix, manna, aloen, myrrha, viſcum, iris, gentiana, ariſtolochia, enula, ſtyrax, propolis, ſaluia, artemiſia, thymúm, origanum, roſmarinum, pæonia, aniſum, ammi, cuminum, naſturtium, coagulum hœdi & leporis, caſus inueteratus in aqua coctus, ſiccatus & in puluerem redactus.

Aſtringentia frigida

Frigida verò hyoſcyamus, portulaca, lenticula paluſtris, pſylliú, ſemperuiuũ, cichoriũ, polygonũ, lactuca, vmbilicus veneris, oxalis, violaria, cucurbita, atriplex, ſolanum. Sed hęc nõ ita aſtringunt, quia humidiora ſunt: quę ſequũtur magis. Vitis capreoli, arnogloſſum, rubus, myrtus, balauſtia, malicorium, roſa ſicca, corna, ſorba, pruna ſylueſtria, pyra, meſpila, galla, rhus, berberis, acacia, hypociſtis, terra ſigillata, hæmatites, bolus armenia, ſanguis draconis, ſalix, coriandrum in aceto maceratum, carabe, camphora, corallia, margaritæ, cornu cerui, ſantali, ſpongia ex aceto expreſſa, imbuta picæ, deinde cremata. Interior tunica ventriculi gallinarũ, erinaceorum, papauer, hyoſcyamus, opium.

Clyſteres ad ſerpentia inteſtinorũ ulcera.

ALIVD eſt genus clyſterum in putridis ac ſerpentibus vlceribus inteſtinorum, in quibus cauſtica diſſolutũur. Fiunt paſtilli cauſtici ex arſenico, calce viua, auripigmento rubro

mixta

mixta acacia & ijs quæ astrigunt. Coguntur ex succo plantaginis, ex vino cocto, fiuntque pondere ℥ j. ij. aut iij. Dissoluuntur aũt in ℔ j. vini diluti, in lacte & alijs decoctis lenientibus. Sunt qui addãt singulis drachmis eorum pastillorum, singula grana opij. Antequam infundantur, buccella panis ex aqua frigida, lacte aut diluto vino exhibẽda est. Stomachus myrtino oleo aut simili roborandus est, prætere a muniendum caput ne ardore clysteris offendatur. Quod si infuso, stomachus exuritur, detur frigida ad ℥ iiij. & lactucæ cauliculi ex aceto. Retineri oportet quod infusum est ad horam quod minimum: ad duas, quod plurimum.

Si verò nõ retinent, sed statim eijciunt clysteres, muria prius, aqua marina, lixiuium, vrina cum sale inijcienda sunt. Anus ex decocto astringentium foueatur, vel sacculo è milio & sale expresso in vino nigro adstringente. Post hos clysteres lac recens emulctum inijciendum est.

CLYsterum vsus, vbi exulceratio in inferioribus intestinis. Si verò in superioribus, potiones conueniunt magis, quanquàm perpetuo vtrisque remedijs vti licet, & potionibus quidem, eo ordine, qui in clysteribus præscriptus est, exceptis causticis. Cura dysenteriæ superiorum intestinorum.

Potiones astringẽtes

Ad astringendum conueniunt potiones, omphacomeli veterum, nũnc syrupus de agresta, de myrtillis, de ribes, succus cornorũ, mespilorum, cotoneorum, sorborum, prunorum syluestrium. Coquantur succi & aliquid sacchari rosati misceatur. Aqua decoctionis sumach, masticis, & rerum astringentium, alumen tritum ʒ j. pondere ex ouo, similiter symphyti radix, pumex tenuissimè tritus cum vino austero: saluiæ decoctum, lac vstulatum cum ʒ j. stercoris canini, aut in quo radices quinque folij, consolidæ maioris & similia coxerint, vel in quo calculi vel fluuiatiles vel marini igniti, prius extincti sint.

Coagulum leporis vel hœdi ʒ j. pondere è vino veteri abluitur, datur cum aqua decoctionis sumach, masticis, succo plantaginis depurato.

Puluis è turture.

Puluis factus è turture farcta cum bolo armena, sanguine draconis & mumia, conclusa vase testaceo bene lutato, & ita cremata, dantur ʒ ij. ex lacte ouillo cocto. Conueniunt cydoniatum, conserua rosarum, cornorum, symphyti, & similes. In aquæ rosarum ℔. j. bulliant masticis, sumach, caryophyllorum ana ʒ j, f. fiat decoctio ad ℥ viij. pro tribus dosibus.

Ouum ex aceto frigitur, deinde conspergitur puluere astringente, ossa femoris bouilli

trita,

trita,alumen in succo plantaginis dissoluitur, in eo linteolum immergitur, siccatur, vritur, fit puluis conueniens. Succus quoque expressus è stercore asinino.

EST aliquando cum multum sanguinem fundunt: ijs frigida cibaria conueniũt, vt alijs dysentericis tepida ac calida. Clysteres itaque vt prius. Hæc vero potio. Si sanguis copiosè deijcitur.

℞ macis, balaustiorum ana ʒ j. dato ʒ j. aut ℈ iiij. ex vino astringente, alijsq; remedijs, vtere quæ sanguinem sistunt, capite de Sputo sanguinis. Potio.

Sudor excitatus plurimũ prodest viribus valẽtibus, balneo aut suffumigio ex rebus sudores mouentib. Later calefactus & vino albo cõspersus, inuolutus pãnis, adhibetur plãtis. Sudor.

NARcotica conueniunt nondum deiectis viribus, syrupus de papauere, aqua rosarũ tepida, in qua coxerint semina papaueris albi. Suppositoria vt prius. In clysteribus dissoluatur ʒ j. trochiscorum de carabe, aut philonij persici. Quibus si nihil proficimus, dabimus ℈ j. aut ʒ ſ. ex decoctione masticis. Philonium proximè descriptum (cap. de cholera) & alia iam multis locis descripta. Narcotica.

Inungendus est venter, primũ quidem ijs quæ leniunt, deinde quæ astringũt, vt oleo de cydonijs, de spica aut cydoniorũ carnes in ace Ventris inunctio.

Emplastrũ. to coquendæ sunt detractis interioribus, deinde malaxatis, adde trochiscorum de carabe ʒ j. masticis ʒ ſ. fiat emplastrum, quod fumigetur cum ligno aloes. Consulendum viribus ex ijs quæ dicta sunt in sputo sanguinis.

Victus ratio. RATIO vitæ instituenda pro rei necessitate. Leniendum enim, detergendum & astringendum.

DE TENESMO.

Caput. XLIIII.

Τεινεσμὸς irritatio est vltimæ partis intestini, hoc est recti, in quo sæpius libet sine causa desurgere. Excernũtur omnino pauca, mucosa, idq; maximo conatu, insidentq; stercori guttæ sanguinis. Hic si præter mucosa, stercora excernuntur, ea cocta ferè sunt.

Causa. NASCItur hæc affectio magna ex parte in pituitosis. Aceruatur enim pituita in recto intestino crassa & viscida, putrescit tempore, acrimoniã contrahit, irritat intestinum. Hinc deijciendi libido. Sed quia cõtumacius inhæret pituita, non nisi magno conatu excerni potest. Hoc tenesmi genus dysenteriã ferè præcedit. Aliud verò genus hãc sequitur. A dysenteria relinquũtur vlcera, in quibus acris sanies intestinũ vellicat, ex quo fit tenesmus, in alijs desidendi cupiditas. Post pharmaca, si quid intestino hæsit, vt malè infriata colocynthide, agari-

Tenesmi genera.

de, agarico aut similibus, eadem affectio nascitur. Vlceribus quoq; in ea parte sponte sua natis, idem accidit. Abscessus in recto intestino natus eandem appetentiam nonnunquam inuehit. Initio de causa cognoscendum est.

QVOD si præcessit frigus, & pituita crassa in causa est, rutam, hyssopum, origanum, calamenthum, rosmarinum, maioranam, lauri folia, stœchas, anethum, melilotum, chamæmelum vino incoques: hinc fouebis sedem, materiam calidam emplastri modo toto perinæo induces. Iuuant fotus ex oleo rutaceo, chamæmelino, anethino, sesamino. In vehementi frigore, oleo in quo decima pars castorei aut bitu minis dissoluta sit. In dolore, anethino & lilino vteris. Eiusmodi oleis fouere & vngere oportet perinæum & imum ventrem: ijsq; calidis, deinde contegendæ partes duplici aut triplici linteo calefacto. Curatio si à frigore & pituita.

Laterem veterem denigratum fumo, confringes & comminues, aceto feruenti immerges, inuolues linteo & calidum sedi totiq; perinæo applicabis. Molli filtro aut cotone vel spongia molliore sæpius immerges vino calido, in quo ruta, fœniculum, & quædam ex supradicta materia coxerint, deinde expressa, sed calida sedi ac perinæo admouebis. Post fotum linteis calentibus muniendæ partes, omnino-

que videndum eſt, ne refrigeſcant.

Suffumigia LAVdantur & hac in re ſuffumigia ex reſi na pini iniecta carbonibus, nuce pinea bene reſinoſa, aliquando additis ſeminibus rutę, cumini, aniſi, fœniculi, vel hoc modo.

℞ picis ſiccæ ℥ j. bituminis ℥ ſ. liquentur in aceto. liquatis inſperge ſulphuris in puluerem redacti ℥ ſ.

Clyſteres ad quartaria duo vel tria ex his comparantur quæ calefaciunt, incidunt, detergent, leniunt, quales proximè deſcripti ſunt.

Glandes. Similiter & glandes ex ladano, ſtyrace, oleo rutaceo, adiectis ſeminibus fœniculi, rutæ aniſi, cumini & ſimilibus.

Si dolor vrget vehementius, narcoticis vtendum erit, vt prius.

In dolore uehementi. Sacculi fouendæ ſedi, & perinæo ex milio, furfuribus, ſale, ruta, & deſcripta materia, frixis in ſartagine, deinde ſacculo incluſis.

Venæ ſectio. QVOD ſi inflammatio eſt, & cætera conſentiunt, vena brachij interna ſecanda eſt.

Purgatio. Probatur quoque Arabibus purgatio leuis è caſsia aut manna, ſuſpecta Græcis. Vrina & ſudor prouocari poſſunt ad diuerſionem.

VIctus refrigerans, clyſteres lenientes ex lacte, hordeato, oleo roſarum tepidis, & alijs vt prius. Infeſsiones (balnea vſque ad vmbilicum) in decoctione maluæ, biſmaluæ, ſeminis

Infeſsiones

lini,

lini, violariæ, adiecta portiuncula florum chamæmeli & meliloti.

Olea vngendo conueniunt, rosaceum, violatum, nenupharinum, in quo folia salicis coxerint, deinde & axungia, butyrum recens, ex quibus & vnguenta fiunt, quale hoc est. Olea.

℞ olei rosarum ℥ j. olei salicis & violarum ana ℥ ſ. mucilaginis quatuor, seminis frigidorum ʒ vj. ceræ modicum, fiat vnguentum. Molli cotone in aceto albo feruente partes fouendæ sunt.

VLcera si qua sunt, abluenda primum sero lactis, vino austero, mulsa, etiam lixiuio si sanies contumacior est, aut vino austeriusculo tepido & sexta parte mellis rosarum. Quibus postea adijciatur aliquid rosarum, thuris, masticis, gummi Arab. tragacantha & similium, aut fiant hæc vnguenta. Tenesmus ex ulcere.

℞ cerusæ plumbi ʒ j. mucilaginis gummi Arabici extractæ in aqua rosarum ℥ ſ. corticis thuris ʒ j. olei rosati quantum satis est ad impinguendum. Aliud. Vnguentũ.

℞ mucilaginis gummi tragacanthi & Arabici, mucilaginis sem. psyllij ana ℥ ſ. aloes lotæ ʒ ij. olei rosarum quantum sufficit, cum modico ceræ, fiat vnguentum. Hæc inunguntur vlceribus, si quidem apparent: alioqui commiscentur ijs clysteribus, qui ad consolidan-

dum descripti sunt capite de Dysenteria.

Lactis caprini potus

Potus lactis caprini, primum quidem ad ℔. j. quæ paulatim bibatur, non aceruatim, postri die verò ℔. ſ. remedio est tenesmo. Oportet primò die recens mulctum bibere, postridie decoctum ad dimidias & despumatum. Decoctum betonicæ in vino albo tenui laudatur ab antiquis.

DE FLVXV HEPATICO.
Cap. XLV.

HEpate calidiore excrementa durissima & similia caprarum, vnde *σπάδα (fortè σπυραθώδη) à Græcis, nisi sit iuncta imbecillitas. Hic enim biliosa, liquidiora & vt augetur calor, insigniter flaua, crassiora, grauiter olentia, æruginosa, nigricantia, assatis humoribus & postremo colliquata hepatis substantia.

Signa.

HIC sitis, ardor, deiecta appetentia, assidua corporis iactatio, difficilis curatio. In infirmitate attractricis hepatis, chylosa. In infirmitate alteratricis, primum quidem loturæ carniũ similia & sanguini diluto aqua, deinde varia qualitate & consistentia, interim quasi limus sanguinis & grumus, integra ferè appetentia, sitis nulla, frigoris sensus, fœtor exiguus. Hepatici fluxus nocte excitantur magis, longioribus interuallis.

HOrum curatio ex capite de debilitate hepatis petenda est. In summa vtendum est refrigerantibus, si infirmitas à calido est: Calefacientibus, si à frigido. In vtrisq;, vitanda sunt, quæ obstruunt. In calida. Curatio.

℞ electuarij ditriasantali ʒ ij. coriandri præparati ʒ j. seminis acetosæ & portulacæ ana ℈ j. coralli rubri ℈ ſ. sacchari rosarum ʒ vj. misce, vtatur in iusculis, in hordeatis, in potu. Calidæ intemperiei curatio.

Syrupi conueniunt rosarum, de ribes, myrtinus, cydoniorum, vel iulep cum multa aqua ferrata, spodium, seminis portulacæ, acetosæ, coralli rubri, flos rosæ & semen, arilli, lacca, cichorium, endiuia, sonchus, coriandrum præparatum, acetositas citri, ptisana & similia conueniunt. Syrupi.

Cerotum santalinum subactum è rosaceo, cerotum ex oleo rosarum, deinde subactum cum succo cichorij, endiuiæ, sonchi, plantaginis, & tantillo succi absinthij, vel eupatorij. Cerotis inspergi possunt pulueres ex proximè scripta materia. Cerota.

IN frigida, vnde lotura carnium, electuarium de vino prius descriptum, mel pulsatum hoc modo præparatum. Frigidæ intemperiei curatio.

℞ passularum bene pinguium M. ij. fiat decoctio in ℔. j. ſ. vini optimi austeriusculi, coquantur dum crassescat, vinum deinde passu- Mellis passularũ præparatio.

læ in supradictum vinum fortiter exprimantur per colatorium satis crassum: expressio cũ vino rursus coquatur ad crassitudinem. Cui adde aromatici rosati ʒ j. seminis nasturtij & securidacæ assati & infriati, cinnamomi electi ana ʒ ſ. misce, vtatur sæpe. Hunc eundem pulverem seorsim asseruabis, insperges ʒ j. lactis vstulati ℥ iij. cum vitello oui, fiat pulticula. Poterit inspergi & lacte amygdalarũ bene cocto.

Puluis optimus.

In hoc fluxu lac ouillum coctum & vstulatum conuenit, sed inspergere oportet aliquid supra dicti pulueris, vel hunc:

Lac ouillũ.

℞ corticis thuris ℈ ij. caryophyllorum, cinnamomi ana ℈ ſ. oryzogala, pulli gallinarum & columbarum, perdices, auiculæ assatæ, vinum tenue, odoriferum, subastringens.

Inunctio hepatis.

IN ungatur hepar cum oleo masticino, de spica, de absinthino & alijs, deinde superaspergatur puluis masticis ℈ j. styracis calamitę grana xvj: thuris albi & nigri ana grana vj.

Fomentũ.

Fotus è spongia expressa in vino decoctionis masticis, thuris, styracis calamitæ, rosarum, absinthij, foliorum cupressi, eupatorij, asari. Si superueniat febricula (quod sæpe fit) proximè dicta remedia calefacientia temperanda, prius dictis refrigerantibus.

DE

DE FLVXV PESTILENtiali. *Cap.* XLVI.

GAleno olida insigniter, fulua & crassa excernuntur, alijs subalbida autumno ferè, liuescit facies, grauatur corpus, pulsus concidit, quarto, vel 7. vel 9. moriuntur, aut ægrè reualescunt. Alij tota cute commutantur, alijs decidunt vngues. Signa fluxus pestilentalis.

FLVxus hic periculosè astringitur. Pręter remedia scripta in dysenteria, vtatur auro in decocto pullorum, perdicum & similium, syrupo de ripes, de cydonijs, de myrtillis, de limonibus, acetositate citri, vino granatorum, syrupo acetoso simplici cum iulep rosato. Atque aliquando in aurora ʒ ſ. bonæ theriacæ in vino granatorum, acetositate citri aut re simili dissolues. Curatio.

IVscula alterantur cũ multa acetosa & nodulo de berberis. Colatitijs inspergatur puluis Victus.

℞ limaturæ auri ʒ j. diamargaritonis recenter facti ℥ ſ. nucis moscatæ ʒ ſ. margaritarum, smaragdorum, saphirorum ana ℈ ſ. panis sacchari ℥ ſ. fiat puluis. Interim quoque vtatur puluere vnicornis & cornu ceruini. Vino tenui vtatur odorifero, diluto aqua in qua aurum extinctum sit. Vtatur interim hoc electuario. Puluis cordialis.

Electuariũ. ℞ conseruæ rof. ℥ j. ſ. conſeruæ corticum citri conditi cum ſaccharo ℥ j. corticum citri ʒ j. ſ. margaritarum electarum ʒ j. hyacynthorum, ſmaragdorum ana ℈ ſ. ſerici crudi ℈ j. ſeminis citri mundati ℈ ij. ſ. acetoſæ ʒ ſ. boli armeni, terræ ſigillatæ ana ʒ ij. limaturæ auri ʒ j. cornu cerui & vnicornis, raſuræ eboris ana ℈ j. ſacchari albiſſ. ℥ ix. folia auri nu. x. fiat conditum ad formam ſacchari roſ. cum aqua roſ. moſcata.

DE MINGENDI DIFFICVLtate: *Cap.* XLVII.

VEſica interiorem membranam habet omni genere fibrarum, quas dum intendit, vrinam continet; ſi ſolum tranſuerſis agit, exprimit. Eius actio in totum naturalis. Eiuſdē collo muſculus eſt obliquus. Agit hic tranſuerſis fibris, arbitrario quidem motu, ne vrina intempeſtiuè effluat. Itaq; cum plena eſt veſica, & quantitate & qualitate irritatur, tranſuerſas fibras intendit, muſculus ceſſat ab officio, atq; ita vrina emingitur. Nerui à lumbis & oſſe ſacro ad veſicam perueniunt.

Cauſæ ſuppreſſæ urinæ. RE ſolutis neruis aliquando torpeſcit veſicæ ſenſus: aliquando muſculus ſphincter, qui collo veſicæ adnatus eſt reſoluitur, atq; ita vrina intempeſtiuè effluit, aut ſi ſenſum perdidit veſica,

vesica, retinetur. Alijs nascitur inflammatio læsis vertebris vnde nerui oriuntur, quod & calore & dolore lotij intelligitur. Alijs rupta vena, sanguis emingitur. Grumus fit, qui meatus intercipit qua vrina expurgatur. Idem meatus et lapillis & tuberculis, & inflammationibus, crasso pure, vel humore aliquando præcluditur, atque hinc vrina supprimitur.

VRInæ verò suppressæ tria sunt genera δυσουρία vrinæ difficultas: στραγγουρία stillicidium aut substillum malum: ἰσχουρία cum omnino vrina supprimitur. Dysuria libidinem mingendi facit, sed ægrè & vi quadam, aliquando etiam cum dolore vrina excernitur: In Stranguria assidua mingendi cupiditas, sed vrina guttatim effluit. Ischuria impropriè quidem fit, perdita renum actione attrahente. Si enim serum sanguis non attrahitur, vrina non fit: propriè verò meatu vrinario præcluso aut infirma excretrice vesicæ, quæ transuersis fibris exprimere non posit, idque propter intemperiem, vt siccitatem in ardentissimis febribus. Aliquando resolutis vesicæ neruis & musculo incolumi. Nam si musculus vnà resolutus est, vrina præter voluntatem effluit. Dysuriam & stranguriam faciunt retentricis imbecillitas, quæ ferè fit à frigido. Frigidum enim vesicæ corpus à frigido facilè offenditur. Altera causa est vri-

Dysuria.

Stanguria.

Ischuria.

næ acrimonia. Adiunge cæteris inflammationem, grumos, calculos, &c.

DE DYSVRIAE ET STRANGVRIAE CVRATIONE.

Caput. XLVIII.

Curatio difficultatis urinæ à frigore.

SI à frigore infirmitas, calorificis vtendum est, vnctionibus perinęi & pectinis, fomentis, balneis, clysteribus, potionibus, alijsque remedijs.

Olea.

VNgendo olea conueniunt, rutaceum, anethinum, chamæmelinum, balsaminum, de scorpionibus, de cheiri, de lilio, de cucumere asinino in quo decima pars castorij, sexta galbani vel opopanacis coxerint. Ex eiusmodi oleis fiunt cerota. Cerotis consperguntur aromata quæ calefaciant, & partium tenuitate facile penetrant.

Fomenta.

FOmenta fiunt ex decocto maioranæ, rorismarini, arthemisiæ, origani, calamenthi, thymi, hyssopi, parietariæ, sisymbrij, berulę, & cressonum: ex quibus & balnea comparari debent: alioqui has herbas friges in sartagine ex oleo vel butyro, & emplastri modo femori superiori, pectini & perinæo calida admouebis. Omentum arietinũ calidum ijsdem locis admotum iuuat, vel recens detracta pellis cuniculi: cuius axungia in eundem vsum plurimum cõmendatur.

Cly-

Clysteres & glandulę ex supra dictis herbis, oleis & materia adiecto sale & melle ad irritádum confici debent.

DE coctum radicis eryngij, cyperi, radicis lappæ, ameos, cinnamomi, nepethæ, myrrhæ, opopanacis, cretæ marinæ, cartami, extremitatum caulis, & alia, quæ postea dicentur. Decocta.

Aquę conueniunt tribulorum, raphani, cretæ marinæ, penetaphylli, alliorum, acori, florum maluæ, cyperi, erythrodani, sabinæ, fabaceorum, scolopendrij, alkekengi. Grana alkekengi trita & expressa, succum reddunt vtilem cum vino albo tenui. Aquæ. Succus granorum alkekengi.

CONueniunt à proprietate, viuerræ genitale, cinis scorpionum crematorum, testa oui repurgata è qua pullus exierit, aselli, vermes terreni, erinacei siccati, aut eiusdem testiculi puluis, vesica tauri & capræ.

Conuenit & theriacæ potus, vocatũ lithõn triptũ, electuarium ducis, aurea Alexandrina, cucurbithulæ natibus adfixæ, pediculus inditus foramini virgę, aut cimex, vel loco horum fila croci, granulum salis, catheter, aut candela cerea oleo prius illita.

VBI verò vrina acrior, si quidem corpus bene carnosum est, si inflammationis suspicio, vena basilica secanda est. Purgandum cum ℥x. casiæ dissolutis in sero caprino vel liquore Curatio difficult. urinæ cum caliditate.

conuenienti, Vomitus,si quidem consuetudo est,plurimum prodest, Clysteres de lacte,sudoris prouocatio. Galenus ex Hippocrate phlebotomiā è crure potius probasse visus est, quā è brachio, Arabes prius è brachio quā è crure, quod & aliquot locis Galeni non repugnat.

Olea.

Hic olea conueniunt,violatum,nenupharinum , de papauere,ex quibus cerota fiunt admixta modica quantitate camphoræ,vt gr.iij. ad singulas ℥ ceroti.

Fotus & balnea.

Balnea & fotus in decocto seminis lini,fœnugræci,althææ,psyllij:nec peccaueris,si quid chamæmeli adieceris.

Aqua distillata ex acetosa,plantagine , lanceola,pentaphyllo. Syrupus de iuiubis,de papauere,decoctum liquiritiæ,portulacæ,lactucæ,quatuor se.communium, lac asinæ vel capræ,serum lactis, lac amygdalarum,hordeatū cum seminibus lini,melonū,cucumeris, quatuor se.communibus frigidis quale hoc est:

Lac amygdalarum.

℞ seminis psyllij,melonum,cucumeris,ana ʒ ij.se.althææ, cydoniorum ana ʒ j. seminis lactucę,hyoscyami albi,papaueris albi,ana ʒ.ſ. gummi tragacanthi ʒ ij. fiat decoct.cum qua dissolue amygdala dulcia,fiat lac amygdalarū cum saccharo violaceo.

Curatio. vlceris cū difficultate urinæ.

Quod si vlceris suspicio est,iam bolus armenia,terra sigil. sanguis draconis,puluis equiseti cum

ti cum lacte vstulato, syrupo myrtillorum, iulep ros. conueniunt: similiter saccharum ros. triasantali, tragacanthum frigidum, cydoniatū sine speciebus factum cum saccharo.

IN ijcitur in virgam lac recens emulctum, maximè muliebre, cui si calor maior est & dolor, addatur mucilago, se. papaueris, cucumeris, psyllij & similium, cum modico camphorę. Vbi verò consolidandum. Iniectio.

℞ lactis muliebris vel bubuli vstulati ℥ iij. sarcocollæ tritæ, amyli, cerusæ, ana ʒ j. fiat iniectio ter aut quater in die. Laudatur hic puluis quo mane & vespere vtatur. Consolidantia.

℞ se. melonum excorticatorum ʒ ij. se. citrulli, cucurbitæ, portulacæ, papaueris albi, ana ʒ. ſ. sem. hyoscyami albi ℈ ſ. gra. vj. (obolum vnum & semis) panis sachari ℥ iij. fiat puluis detur ad ʒ ij. cum iulep viol. aut liquore conuenienti. Drachma vna trochiscorum alkekengi cum liquore conuenienti plurimum commendatur.

GRVmi decocto stœchados, sarmētorum vitis, mumiæ, oxymelitæ, rebusq; eiusmodi incidentibus dissolui debent. Hinc graue periculum est: sequitur enim animi defectio, coloris fœditas, pulsus paruus, frequens, obscurus, anxietas & vt plurimum mors. Grumi sanguinis.

Sanies & pituita si crassior, incidenda est. In

flammationes & vlcera suo modo curâda sunt, ita & calcalus. Plenior vesica, manibus comprimenda est, & qua parte tumor eminet.

DE CALCVLO.
Cap. XLIX.

CAlculum gignunt, calor renum immodicus, aliquando etiam tepidus, & humor crassior, qui calore lapidescit. Generatur aliquando in renum stomacho, aliquando in substantia. In vesica quoque generari versimile est, & maxime pueris. Signa.

Signa. DOlor fixus in renibus, grauitas, vrinæ initio tenues, primum quidem cum arenis & exigua asperitate, deinde cum multo sabulo crassiores excernuntur.

Curatio. PRImum igitur clystere molliendus venter est. Renes enim oppressi stercore grauius dolent, liberati leuius, & ex eo calculus minori negotio excluditur.

IN dolore vehementi, sanguis detrahi potest è poplite, vel malleolo: aluus quoque leui medicamento ducenda est, vt cassia ad ℥ j. cũ sacchăro violaceo, vel glycyrhizæ decocto. Optimum quoque fuerit interim dum Medicus laborat excludendo calculo, alternis diebus cassiæ ℥ ſ. aut ʒ iij. cum sacchăro viol. imperare, horæ dimidio ante cibum.

Postea

POsteaquam verò stercus depulsum est, secta vena est, & lenita aluus, vnctionibus, fomentis, balneis & remedijs lenientibus atq; laxantibus vtendum est. Conueniet itaque oleum viol. amygdalarum dulcium, butyrum recens, oleum in quo radices althææ coxerint: vnguentum dialthææ, hyssopus humida: hyeme etiam oleum liliorum & chamæmeli. Fotus & balnea ex malua, bismalua, violaria, chamæmelo, meliloto, lini semine & fœnugræci, alijsque eiusmodi. Iuscula quædam ex malua, bismalua, adiectis ciceribus rubris cum multo butyro & modico salis. Topica. Vnguenta.

POstea verò remedijs vtendũ est quæ calculum excludunt, primum quidem leuioribus, deinde fortioribus. Conuenit initio mel simplex cum decoctione liquiritiæ, betonicæ, lupulus, capparis, scolopendrium, cappillares herbæ, radix graminis, chamæbati & similia. Fortiora sunt scylla, iris, enula, aristolochia & similia. Oportet autẽ interuallis repetere hæc remedia, leniendo, laxando, excludendo. Calculum excludunt.

Sanguis hircinus è iugulato hirco iuuene, quo tempore vuę maturescunt. Medius quidẽ excipitur, relicto eo, qui primus fluit & postremus, fictili vase reponitur, insolatur, exiccatur reseruaturq; fideliter. Cũ vsus fuerit, accipies pulueris ʒ j. ſ. è vino tenui. Trallianus à balneo Sanguis hirci.

aut iam laxatis vijs, renes, pubem, interifœmineum calido hirci ſanguine inungit.

Lapis Iudaicus. Lapis iudaicus tritus & potui datus ʒ j. pondere. Solinus, Dioſc. & alij Medici cum renum tum veſicæ lapillos frangere ſcribunt: Galenus non veſicæ, ſed renum. Author libelli de calculo, duplex genus facit, ſcribitque marem è renibus: fœminam, è veſica calculum educere. Datur cum oxymelite tritus in cote, vel cum ℥ iij. aquæ.

Oleum camæmelinū. Oleum chamæmelinum fictili vaſe concluditur, mixtis floribus geniſtę: vas fideliter clauſum ſtercorario fimo ſepelitur, illicque vt efferueſcat, aliquot dies relinquitur. Eo oleo renes, pubes, perinæum inungitur.

Beſtiolæ in lapidarijs fodinis quaſi verrucę lapidibus obhæreſcunt: quæ ſi quinq; numero ex aquæ ℥ iij, ſumantur, mirabiliter iuuant.

Pellis & renes leporis. Pellis leporis cremata, lepus decollatus, alioqui integer cum corio & carnibus vaſe fictili crematur. Eiuſdem renes ſiccati & inueterati pondere ℈ iiij. ex vino tenui propinantur.

Cinis vngulæ equi, plumarum palumbarum, teſtæ cochlearum, cancrorum, vermium terrenorum, aſſellorum, paſſerculi, quam caudam tremulam vocant, ſtercus murium in aceto tritum, calculus quem quis primum excluſerit, lotium capræ montanæ, cicadæ aridæ &

alia

alia eiusmodi, à proprietate calculũ excludũt.

Corticis raphani acerrimi ℥ vj. horis 12. in vini albi tenuis ℥ viij. madeant, colatura duabus dosibus sumitur.

Cortex raphani.

Terebinthina ad cautionem calculi potius quàm exclusionem imperanda est, eaque multis modis vtimur.

Terebinthinæ usus.

℞ terebinthinæ ℥ iiij. inuratur in lamina ferrea candẽte, vt possit infriari, dabis ʒ ij. eius pulueris, cum ℥ ij. aquæ saxifragiæ, chamæmeli vel genistæ, & ℥ j. oxymelitis. Hoc medicamentum excludendo calculo satis esse potest, vbi prius lenieris & relaxaueris.

℞ terebinth. ℥ ß. lithontripton ʒ ij. misce f. bolus. Hoc verò datur tempore paroxysmi.

℞ terebinthinæ lotę in aqua viol. ℥ ß. benedictæ ʒ ij. Aliud.

℞ terebinthinæ lotæ in aqua alkekengi ʒ ij. pulueris diatragacanthi & liquiritiæ ʒ j. ß. incorporentur in ℥ ß. cassiæ cum saccharo, f. bolus. Aqua distillata è terebinthina.

Iustinianum excludendo calculo ad ʒ. iij dissoluitur in glycyrhizæ decocto, vel cum saccharo viol. in bolum cogitur.

Iustiniani.

Lithontripton per se ʒ iij. pondere, vel cũ ʒ j. iustiniani ex decocto liquiritiæ, aqua viol. chamæmeli aut simili. Aliud.

Lipontripton.

℞ cornu cerui vsti & puluerisati, gummi

tragacanthi ſimiliter pulueriſati ana.ʒ. j. terebinthinæ crematæ ʒ ſ.lapidis iudaici,pul.vermium terrenorum ana ℈ j. incorporentur omnia in iuſtiniani ʒ j. ſ.deinde in decocto glycyrhizæ diſſoluantur vt fiat potus.

Guaiacum Sunt qui ſingulare præſidium putant frangẽdo lapidi lignum guaiacum:iuſta quidem ratione,virtute videlicet incidente, abſtergente & leniente. Talia enim eſſe oportet,quæ calculoſis imperantur. Vitanda tamen ſunt quæ nimiũ ſiccant,quæ craſsiorũ partiũ. Ratio quoq; habitus corporis ineunda eſt : obeſum corpus magis tenuantia : gracile verò minus perferre poteſt. Sic loci tẽporis,anni,ætatũ & ſimilium meminiſſe oportet. Laudatur & hęc diſtillatio

Deſtillatũ. ℞ mellis roſ.terebinthinæ ana ℔ j.iuiubarum,ſebeſten , nulceorum pini ana ℥ iiij.granorum alkekengi, ſe. cucumeris,nigellæ, apij ana ℥ ij.ſucci raphani per reſidentiam depurati ℔.ij.ſemina & reliqua materia ſolida conquaſſentur, cum cæteris ponantur in alembico,f.deſtillatio.In deſtillationis ℥ iij.diſſolues ʒ j.aut ℈ iiij.eorum , quæ à proprietate calculum excludunt,qualia ſunt antea deſcripta , cinis ſcorpionum,ſcarabeorum, hepatis aſini,teſtæ ouorum è qua excluſus recẽter pullus eſt, hirundinum,teſtarum auellanæ . Limonum ſuccus à multis cõmendatur,item & cinis vitri combuſti.

IN vehementi siti & calore, siquidem prius vacuatum corpus est, si debilitas visceris, aut consuetudo non prohibet, aquæ frigidæ potus largiter exhibitus, aliquādo calculū excludit.

Aqua frigida calculū excludit.

℞ radicis asparagi, rad. rubi humilis (chamæbatos) ana M. ij. foliorum betonicæ, polij montani ana M. ij. cicerum nigrorum M. j. fiat decoctio in aqua pluuiali secundum artē. In fine decoctionis adde aceti scylitici ℥ j. fiat colatura, dosis ℥ iiij. cùm ʒ j. lapidis iudaici aut similium. Porphyrij & Octauiani.

℞ brassicæ siccæ & in puluerem redactæ ʒ ij. piperis ℥ ſ. misce, dato ʒ j. ex aqua aut aqua alkekengi vel simili.

Gallus lassatus flagris cum polytricho, trichomane, lupulo, asparagis, alijsque eiusmodi ad putrilaginem coquitur, ius sorbetur.

Gallus antiquus.

PRAEterea conueniunt scolopendriū, portulacæ succus, cucurbitæ cinis, valeriana, semen personatæ, cartami (sem potius quàm radix) & damasonij radix, lini, cucumeris, maluę, fœnugræci, apij, seseleos, hederę semina, typeri radix, asari, rusci, cinosbati fructus detracta interiori lanugine & spōgiolæ in cynosbatonatæ, gūmi & nuclei cerasorum, persicorū, cortex medius coryli, sarmenta vitis combusta & extincta in vino tenui, aut liquore conuenienti, vt bibatur colatura.

Medicamenta.

℞ Electri, lapidis spongiæ, pul. saxifragiæ ana ʒ ſ. ex aqua geniſtæ, aut ſimili.

Cucurbitulæ. Cucurbitula lenitò prius dolore, remollitis ac laxatis partibus, iam non vrgente inflammatione, renibus primum, deinde perinæo & inguinibus affigi debet.

Methodus curandi. IN ſumma clyſtere mollienda aluus, leniendus venter è caſsia, detrahendus ſanguis è crure, niſi plenitudo ſit totius corporis, ſic enim è cubitò prius. Lenientibus atq; laxantibus, deinde etiam leniter incidentibus calculus ad excluſionem præparandus eſt, paulatimq; faciendus gradus ad ea, quæ detergent, attenuant, expellunt, atq; etiam vrinas mouent. Multò maximè cum iam remittit dolor, & calculus commutat locum. Quod ſi ijs quæ bibuntur nihil efficitur, cucurbitula vtendum eſt. Si verò neque hoc remedio exit calculus, ad relaxantia, lenientia & initium curationis redeundum eſt.

Chirurgia. Si verò translatus eſt calculus in veſicam, nec aliter extrahi poteſt, ad inciſionem confugere oportet. Cuius rationem repetes ex ſexto Pauli, chirurgia Albucaſis, & alijs chirurgis.

IN hoc morbo intolerabilis dolor, facit vt aliquando vtendum ſit narcoticis, de quibus multa anteà. Oleum de ſcorpionibus deſcriptione Raſis,

℞ ari-

℞ ariſtolochiæ rotundæ,gentianæ, cyperi. corticum rad.capp.ana. ℥ j.bulliant omnia in ℔.j.olei amygdalarum amarum (ſunt qui addant ſucci raphani ℔. ſ.vt fiat decoctio ad ſucci conſumptionem,alij aquam)per hebdomadam inſolentur. Singulis ℔. colaturæ adijce denos ſcorpiones, & rurſus inſolentur per dies quindecim. Gutta eius olei virgæ infunditur. Eodem oleo pecten & perinæon inunguntur. Oleum ſcorpionũ.

Probatum quoq; multis balneum ſulphureum ex aquis naturalibus, vel ſub quadruplo ſulphure liquato in quadrupla aqua. Alij in eiuſmodi aquam calidam lintea immergunt et calida perinæo ac pectini apponunt.

DE VRINAE ARDORE.

Caput L.

IN iudicijs acutarum febrium,bilis plurima aliquando excernitur à natura,quæ ſi defluit in veſicam, ardorem vrinæ facit. Vrina ſero ſanguinis & parte bilis conſtat. Cum autem alterum acrius eſt, vel augetur proportio bilis, ardor vrinæ fit. Vrina omnis acris eſt:ſed multò maximè ſentitur acrimonia, ſi qua pars vlcerata eſt,qua effluit. Ad veſicam glandulоſa ſunt corpora,quę humorem reddunt,vnde vrinæ acrimonia temperari poteſt. Ea exiccan-

tur immodico coitu, morbo aut medicamēto, quæ causa ardorem vrinæ gignit. Sanies quoque acris, ex superiore corpore in vesicam defluit, quæ vrinæ mixta, ardorem facit.

Curatio. Phlebotomia. COgnita caussa, de phlebotemia, purgatione & alijs remedijs cogitandum. Phlebotomia tū conuenit, cū calidius corpus est, è brachio.

Purgatio. PVRgatio & diuertendo & acriorem humorem repurgando cōuenit. Sed prius considerandum est, an solum leniendum, an etiam detergendum. Vbi solla humeris acrimonia est, leniendum solum: vbi vlcus, etiam detergendum. Leniendo conuenit casſia detergendo terebinthina. Vtriusque virtus augetur aut temperatur ijs, in quibus dissoluitur. Itaq; Purgatio. si leniēdum imperabis ℥ x. casſiæ, aut ℥ j. (plus minúsue) dissolues que in decoctione iuiubarum, passularum mundatarum, substen, prunorum & similium. Si detergendum, simul & liniendum, dissolues in aqua hordei, sero caprino, iulep viol. quod & lenit & deterget. Terebinthina, vt prius dictum est vteris. Aliquando rhabarbari ʒ j. aut ℈ iiij. ʒ vj. casſiæ commiscebis atque ita dissolues, vel cum sacchαro coges in bolum. Quod attinet ad reliqua remedia, reuocanda sunt in hunc locū, quæ de stranguria ab vrinæ acrimonia dicta sunt. Si tantū humoris acrimonia est, leniendum, si etiam vl-

cus præterea, detergendũ & consolidandum.

Leniunt iulep & syrupus de violis. Maluę & bismaluæ frequens vsus. Aqua ex ijsdem destillata, decoctum glycyrhizæ rasæ, passulatum mundatarum, prunorũ, iuiubarum, seminum communium frigidorum, psyllij, cydoniorum lac muliebre, oua & similia. Imperabis ergo aquæ maluæ ℥ iiij. iulęp violarum, ʒ j.ſ. Vbi detergendum, vteris syr. de iuiubis, de nenuphare, de papauere: & ijs quidem magis, si maior ardor est, hosque syrupos dissolues in supradictorum decoctis. Semina melonum excorticata & mundata ʒ j. pondere, aut ex ijsdem seminibus, semine cucumeris & cucurbitæ cum amygdalis, imperabis, lac amygdalinũ, aut hoc ipsum iubebis comparari, dissolutis amygdalis in decoctione prædictorum seminum. Atque vbi vrgebit ardor semina hyosciami albi & papaueris commiscebis. Semina lini, althææ & cydoniorum, psyllij eidem vsui esse possunt, vt vel hordeatis vel lacti amygdalino misceãtur. Lenientia.

Deterget iulep, id est aqua sacchari, sed leniet magis, si saccharum violaceum sit. Plurimum laudatur medicamẽtum ex trochiscorũ alkekengi ʒ j. iulep violarũ ℥ iij. hocq; vtendũ erit, vbi maior ardor est. Lac muliebre & bubulum lenient magis, ouillũ cõfirmat, caprinum & asininum detergent magis. Serũ separatum Detergẽtia.

ab ijs generibus lactis, magis detergebit.

Iniectio. Sed quia ardoris sensus magna ex parte sentitur ad collum vesicæ, & extremitatem glandis, propterea iniectionibus in colem turūdis quoq; in foramen virgæ vtendum est. Leniendo lac muliebre inijciendum est, liquor tenuis albuminis oui agitati atq; despumati, vel hoc.

℞ mucilaginis sem. psyllij & cydoniorum, extractæ in aquę cucurbitæ, violarū, maluę ana ℥ ß. lactis muliebris ℥ j. liquoris oui ʒ ij. misce pro iniectione.

In maximo ardore mucilagines sem. hyosciami & papaueris cōmisceri possunt, vel camphoræ gr. vj. aut plura, vel opij gr. ij. aut. j.

Turunda. Turunda (tenta) intingi debet ceroto rosarum Galeni quod ita comparabis.

℞ olei rosarum ʒ vj. lauetur sexies ex aqua rosarum, deinde cum ℈ iiij. ceræ lotæ, fiat cerotum liquidū in duplici vase. Potest & hoc cerotum refrigeratum affundi succo plantaginis: & hoc magis, vbi extremitas virgæ vlcerata est. In dolore vehementi dissolues camphoræ ℈ j. in aquæ rosarum aut violarum ℥ j. vel in vino dulci, opij gr. ij, atque ita linimentum (turundā) in ijs liquoribus madefacies & molliter indes in virgam. Si detergendū, supradictis iniectionibus addes saccharū, vt nō solum lenias, sed etiam detergeas, vel aqua hordei. vel

sero

ſero lactis cum modico ſaccharo.

CVM vero vlcera deterſa ſunt, conueniunt quæ conſolidant. Cōſolidantia ulcus.

℞ ſarcocollæ ℈ j. amyli, ceruſæ lotæ ana ℈ ſ. nutriantur in lactis muliebris aut caprini vel ouilli ℥ ij. fiat iniectio in virgam, quæ ter aut quater in die repetatur. Aliud. Iniectio.

℞ aluminis plumæ (ſciſsilis) ſacchari ana ℈ j. mellis ʒ j. ſ. vini albi auſteriuſculi ℥ ij. leuiter bulliant, de colatura fiat iniectio. Conueniunt & hæc.

℞ ſucci virgæ paſtoris depurati, ſucci plantaginis ana ℥ j. boli armeni, mumiæ ana ʒ ſ. miſce pro iniectione cōſolidante. Trochiſci de carabe, de terra ſigillata, bolus armenus tragacanthum, trochiſci de ſpodio ʒ j. pondere diſſoluuntur in ℥ ij. ſucci equiſeti, (hippuris) plantaginis, iulep roſarum, ſyrupi myrtillorum diluti, vbi conſolidandum eſt.

IN curatione ardoris vrinę, clyſteres ex his quæ leniunt inijci debent, atquę vbi humoris acrimonia cauſa eſt, ſudoris prouocatio & vomitus ex vſu ſunt. Sudor.

Inunctiones pectinis & perinæi è deſcripto ceroto roſarum oleo violaceo, de nenuphare, de mandragora, de ſalice, cucurbita & cucumere. Inunctio.

Balnea: immerſio pudendi in decoctione Balnea.

leniente. Laudatur à multis iulep ex aqua acetosæ & quarta parte facchari violacei. Postremo partes affectæ roborandæ, de quo in gonorrhæa.

DE MICTV SANGVINIS. Cap. LI.

Mictus sanguinis caussa.

QVibusdam naturis eodem modo sanguis per vias vrinales excernitur, quo alijs per nares, venas sedis, aut vomitum. Hoc
1 ipsum præter naturam est, debetque anteuerti secta vena è brachio dextro. Eiusmodi excretiones sanguinis, excitantur inclinante vere. Veris itaq; initium anteuertendum est.

Alijs cruenta est vrina, similisq; diluto san-
2 gini ex laxitate atque amplitudine venarum, quæ à caua renibus inseruntur. Renum quoq; infirmitas hoc idem efficit. Scriptum ab Hippocrate: Quicunque sponte sanguinem mingunt, ijs à renibus venula rupta est. Sponte, hoc est & repente, & sine manifesta caussa. Rupta vero vena propter humorum multitudinem ac crassitudinem, vnde venæ quę renum ventres subintrant, disrumpuntur, aut aliquando aperiũtur: Ex casu, saltu, ictu, aut vehementiore motu, idem potest contingere. Rupta vena confertim effluit sanguis, aperta paulatim. Laxioribus venis emulgentibus, infirma vi renum

Singna.

num contentrice aut discretrice, statim à cibo serum sanguinis purum, post coctionem cum spongioso sedimento excernitur.

In infirmitate vasorum seminariũ aliquando excernitur sanguis, non cum vrina, sed in coitu, aliter quàm vesica exulcerata. Hic enim cum vrina sanguis emingitur quibusdam corpusculis immixtus. Nec enim vesica solum, sed etiam in cole vlceratio esse potest. Sed vlceris, sanies & dolor indicia sunt. 3

Curatio imbecillitatis uenarum.

IN imbecillitate, primum cognoscendũ est, an à calido an à frigido, fereq; à calido esse volunt. Quod malũ astringentibus, refrigerantibus atq; supprimentibus corrigi debet. Quæ quia propter tardum motum non facile penetrant ad renes, diureticis, maximè aromatibus cõmiscenda sunt. Sed diureticorum minima sit portio. Non enim vt vrinas moueant, sed vt adstringentia ad renes deducant, commiscentur. Materia in sputo sanguinis, in hæmorrhagia è naribus, & alijs locis descripta est.

Lac ouillũ.

Auicenna nihil melius existimat confirmandis renibus lacte ouillo. Datur ieiunis ad ℥ vj. quibus aliqui admiscent boli armeni aut similis medicamenti ʒ j. Alij etiam ℈ j. spicæ, vel cinnamomi, &c.

℞ lactis ouilli ℥ iiij. aquæ millefolij ℥ j. boli armeni ℈ ij. spicæ ℈ ſ.

℞ lapidis hæmatitis ʒ j. diſſolue in aqua plantaginis ℥ iiij. Quod ſi ardor ſentitur in renibus.

Sanguinis mictus cum ardore.

℞ aquæ plantaginis & portulacæ ana ℥ ij. philonij ℈ j. Aliud.

℞ mucilaginis ſeminis papaueris albi ℥ ſ. trochiſcorũ de carabe ʒ ſ. raſuræ eboris & cornu cerui ana ℈ ſ. omnia incorporentur carne cydoniorũ condita ſine ſpeciebus, detur auellanæ magnitudine duabus horis ante paſtum.

Conueniunt radix conſolidę, maioris, gummi Arabicum, tragacantha macerata prius, dę inde feruefacta in vino auſteriuſculo, colatura bibatur, maximę vbi ſolidandum eſt. Et hoc quoque laudatum ab antiquis.

Trochiſci.

℞ aluminis plumæ ʒ j. gummi Arabici ʒ ſ. tragacanthi ʒ ij. cum vino aſtringente, fiat trochiſci pondere ℈ ij. dentur vt prius. Ad deterſionem vlcerum & conſolidationem repetenda ſunt, quæ proximo cap.

℞ ſpodij ℥ ſ. berberorum ʒ iij. ſeminis lactucæ ʒ v. cum ſucco cydoniorum, fiant trochiſci, detur ʒ j. ex decoctione ſumach. Puluis ſeminis lactucæ inſpergitur vitello oui mane.

Hæmorrhagia ueſicæ.

IN hæmorrhagia veſicæ, ilibus ac lumbis atque etiam natibus, & coxendici exteriori, cucurbitula affigi debet.

Topica.

IN unctione renum, perinæi & pectinis ex oleo

oleo rosarum, myrtillorum, de cydonijs, aut eo in quo astringentia coxerint. Hinc fiunt cerota liquida, quibus conspergi possunt santali, bolus armena, cortex thuris & similia: commisceri acacia, hypocystis, & similia.

HIC summum periculum est vbi grumescit sanguis. Nam hinc sequuntur, quæ capite de Difficult. mingendi dicta sunt. Conandumque est, vt incidantur grumi oxymelite, artemisia, stœchade, assa odorata, conyza, seminis raphani, coagulo, summatim ijs, quæ lapidem comminuunt, datis ex oxymelite. Quibus si nihil efficitur inciso perinæo, quomodo calculi educi debent. Ad grumos sanguinis.

DE DIABETE, IN VOLVNTA-*rio vrinæ effluuio, & similibus.*
Caput LII.

VRiticás Græci vocant, qui sæpius mingunt. Vitia quæ in sæpius mingendo contingunt, vrinæ multitudo efficit, renum vitium, resolutio vel infirmitas musculi, qui collum vesicæ claudunt. Mictus frequentioris causæ.

Diabete proprium est renum vitium. Nascitur primum humoribus vitiosis substantia renum imbibitis, vnde insatiabilis appetentia potus, vt in canina appetentia insatiabilis ciborum cupiditas, ex vitioso humore, qui sto- Diabete.

macho imbibitus eſt. Sequitur perpetua renum attractio. Sed cum infirma ſit alteratrix & contentrix, quicquid hinc bibitur, ſtatim per vrinam effluit, quomodo in lienteria potus cum cibis. Hic ardent viſcera atque adeò vniuerſum corpus, propterea quòd quicquid aquoſum & ſeroſum in venis, vnde videlicet ſanguis temperatur, attrahitur in renes & emingitur. Ex quo fit, vt & humores ſolidarum partium exugant venæ, quod deinceps renibus attrahentibus emingitur. Rara hęc affectio, & in ardoribus naſcens, vbi vrina omnino aquæ ſimilis eſt.

Inuoluntarium urinæ effluuium.

ALIVS affectus eſt veſicæ, cum vel defluxione, vel frigore, ictu, caſu, vulnere, aut alia huiuſmodi cauſa, nerui qui veſicæ muſculū claudunt, reſoluuntur. In qua affectione, & noctu & interdiu præter voluntatem vrina effluit.

Qui noctu ſe permingunt.

Cui & alia affectio vicina eſt eorum, qui non ſatis vrinam cōtinent, ſed ſtragulas noctu permingunt. Quod vitium familiare ſenibus & pueris: ſenibus propter ſiccitatem, pueris propter laxitatem & mollitiem.

Curatio diabetæ.

In ardenti febre, diabetes incurabilis: In alijs ægrè curari poteſt, quia non facile initio deprehendi poteſt. Quod ſi initio deprehenditur, mittendus eſt ſanguis è cubito, ſed moderatè. Deinde vtendum ijs eſt, quæ refrige-

Venæ ſectio.

gerant,

gerant, contemperant, & paulatim vitium corrigunt renum. Vitæ ratio omnino frigida tum actu, tum potentia. Cataplasmata quoque refrigerantia, tum renibus, tum visceribus applicanda. Vomitus eius quod bibitum fuerit. Sudor excitatus in dolio, vt tantum exeratur caput. Sudor.

CONueniunt cibi, lactuca, endiuia, oua sorbilia, recens caseus sine sale, lac in quo vel chalybs, vel calculus fluuiatilis sæpius extinctus sit, pulli gallinarum hordeo mundato, vel quatuor seminibus frigidis maioribus infarcti, hordeatum, lac amygdalarum, præparata cum refrigerantibus. Et quia his viribus primum detrahitur, suilla caro, vinum crassum, rubrum, aqua frigidissima dilutum, concedi possunt. Victus.

Farinam oxyrhodino subactam, emplastri modo & renibus (lumbis) & hypochondrijs applicabis. Vitis & rosarum folia: ea in summa quæ refrigerant, & astringendo roborant renibus applicabis. Cerota comparabis lumbis & pectini ex rosaceo, subigesque cum lactucæ succo & similium. Aliquando etiam in maiori ardore, expresso succo è folijs papaueris cerota subiges, aut populeum vocatum ceroto commiscebis, eruntque ℥ij. populeonis ad singulas ℥ ceroti. Laudatur & infusio ex oleo, in quo vermes terreni fuerint decocti. Mirum est Topica.

Theriaca. quòd theriaca natura ſua calida & ſicca, ſitim diabetis extinguit, data interuallis. Leges vltimũ problema primi Aphrodiſei. Hunc morbum Syphonem, vrinæ profluuium, intercutem matulæ, dypſacum, hyderon appellant.

A paralyſi. Si paralyſis ex luxatione vertebrarum, non facilè curatur: alioqui balneis ſulphureis, frictionibus aſperis, inunctionibus dictis capite de Paralyſi. Dropace & ſinapiſmis vti oportet, vt vim medicamentorum percipiant lumbi, perinæon & pecten.

A multitudine urinę. QVOD ſi vrinæ multitudo in cauſa eſt, victus ratione exiccante, ijs quæ ad inteſtina diuertunt vtendum erit.

A muſculi ſphincteris infirmitate. AD alios vero quibus infirmitas claudentis muſculi cauſa eſt, conueniunt caro erijci, cerebrum aquilæ, cerebellum, renes, teſticuli leporis, pulmo hœdi, lingua anſeris, galli guttur, veſica ſuilla, tauri, capræ, ouis, enula, thus, myrobolani, cyperus, coriandrum præparatum, myrrha, menta, calamentum, galbanum, caſtoreum, ſeſeli, lac ouillum & caprinum, oleum de behen, de ſpica, rutaceum, maſticinum. Vulgare remedium eſt eſus murium. Oleis itaq;, vel inde comparatis cerotis, pecten & perinæon inungenda ſunt. Reliqua ex vino odoro ſenibus, ex aqua pueris exhibenda ſunt. Laudantur & hæc.

℞ cinnamomi electi ʒ j. ſpicæ nardi ʒ ſ. cyperi, coriandri præparati ana ℈ j. veſicæ ſuillæ ſiccæ, teſticulorum leporis ſiccorum ana ℈ ſ. omnia incorporētur conſerua enulæ cam panæ prius conquaſſata & ſubacta. Aliud.

℞ glandium ʒ ij. corticis thuris ℥ j. ſem. coriandri præparati, boli armeni, gumi arabici ana ʒ ij. ſpicæ, cinnamomi ana ʒ j. teſticulorũ leporis, veſicæ ſuillæ ana ʒ ſ. miſce fiat puluis, vtatur ſæpe. Laudatur lac ouillum & caprinũ cum modico ſaccharo, vel cum medicamentis deſcriptis.

Ne permingat ſtragulas, veſica tauri vel ſuis prius madefacta oleo, interiori parte debet è cole ſuſpendi & ita alligari, vt quicquid meiatur excipiatur veſica.

DE VERMIBVS.
Caput LIII.

VErmium tria genera. Aſcarides, infima parte recti inteſtini, adultioribus pueris familiares. Rotundi qui pueris ſuperiori inteſtino ferè generantur. Latus vermis per totum inteſtinum aliquando extenditur, rarò admodum & paucis gentibus generatur, nunquam Athenienſibus, Thracibus, vt ſcribit Theophraſtus. De eo iam antea cap. de ca- *Vermium differentia.*

Causæ. nina appetentia. Horum omnium generatio putris materia & calor. Signa ex Paulo & Aetio colligenda sunt. Verminam hũc morbum & verminationem appellarunt, non solum hominibus, sed iumentis familiarem.

Curatio. IN genere conueniunt, quæ enecant vermes & excludunt, acria, amara, quæ vias lubricant, quæ à proprietate hoc efficiunt.

Ascarides. ASCA ridibus, quia infimo intestino hærent, glandibus potius vtendum, quàm potionibus. Fiunt glandulæ ex carne salsa filo appensa: fiunt ex lardo prius aqua frigida macerato: Item ex melle mixta aloe, & ijs, quæ interficiunt vermes: Qualia sunt coriandri semen & caulium, decoctum thymi, allia, absinthium, hyssopus, menta, bouis astragalus vstus, vermes terræ vsti, chamæmelum, zedoaria, santónicum, myrrha, puluis contra vermes, securidacæ semen, succus portulacę & endiuiæ, oleum omphacinum, medulla cerui, folia persicorum, rutę, rasuræ eboris, vnicornis, rhabarbarum, cornu ceruinum. Superstitiosum est, quod Scribonius scribit oportere è cornu cerui scobem fieri lima lignea, nam aliter iuuare potest. Plurimum laudatur decoctum sebesten: alia quoq;, quæcunq; qualitate aliqua vniuersali vermes interficiente prædita sunt. Aquæ conueniunt graminis, absinthij.

thij, portulacæ, & rerum amararum.

PVR gatio vero an conueniat quæstio est, de qua non dubitandum. Repurgata enim materia, vnde vermes generantur, vnà cum eà vermes excludentur. Laudatur rhaharbarum, hiera tum simplex, tum diacolocynthidos. Veteres etiam Medici scammonea vsi sunt. Núc licebit vti granis iiij. diagridij cum aqua absinthij, aut simili. Sed purgatio commodior est, vbi in superiori intestino vermes sunt. Purgatio

℞ decoctionis Sebesten ℥ iij. cornu cerui ʒ j. mentæ siccæ, & piperis triti ana ℈ ij. Latos etiam expellit rhabarbari ʒ j. aquæ graminis aut absinthij ℥ ij. spicæ gr. iiij.

Clysteres ex vini ℔. j. olei absinthij ℥ iij. pul. hieræ ʒ ij. Poterit etiam aliquando addi mellis ℥ j. & ʒ j. salis. Nam & sal deglutitum ascendentes vermes ad stomachum deorsum pellit. Videndum tamen ne odiosa vermibus per sedem inijciamus, cum ad superiora eorũ motus est: tum enim iucunda potius, vt mellita, & dulcia inijcienda sunt, aut eiusmodi glandulæ subijciendæ. Bibenda verò quæ eosdem vermes deorsum pellant. Nam aliquando ad ventrem vsque ascendunt, & stomachum lancinant, vnde syncope, conuulsio, mors. Clysteres. Salis facultas.

Emplastra & cerota ex cerato facto è tribus partibus olei absinthij, amygdalarũ ama- Emplastra

tarum, nucleorum persici & vna ceræ. Deinde vbi refrixerint, subigi debent ex succo amaro, vt absinthij. Adijciendum quoque aliquod genus fellis, nam fel insigni amarore enecat vermes. Ex quo & glandulas felle illinimus. Medulla cerui, venter, lumbi, & perinæon inungi possunt.

MIRVM est quod aliquando contigit vermes per ingenuina prorupisse via exedendo facta, alijs per vmbilicum. Nonnullis quoque contigit vt multitudo vermium tunicam sibi contexeret expansam toti intestino & omnino similem veris intestinis.

Alui fluor simul infestans.

Vbi coniunctus est alui fluuor, eligenda quæ præterquàm quòd vermes enecant, etiam alui fluxiones retinent, quale est rhabarbarum & plantago.

Remedia puerorum.

Et quia pueri ferè vermibus infestantur, refugiunt autem quæcunque amara sunt, diductis dentibus clysterio, aut curuata fistula medicamenta in œsophagum infundēda sunt. Fiunt clysteria ex muria, aqua oliuarum, centaurio in absinthij decocto. Sed vbi vermes exclusi sunt, roborandum intestinũ, instituenda vitæ ratio, ne in posterum regenerentur. Theriaca & mithridatium, si nulla febris est, vermes excludunt, & enecant.

DE

DE HEAMORRHOIDVM SVP- *preßione. Caput* LIIII.

HÆmorrhides vniuersum corpus vacuant, aliquando cacochymia: aliquando puro sanguine, quodq; sola quantitate peccat: id aũt per venas, quæ à vena caua explantatæ vtero, pudendis & sedi implantátur. Hoc enim verisimilius est, quàm per venam, quæ à portis hepatis, in extremum rectum intestinum porrigitur. Neq; admodũ verisimile hæmorrhoidum materiam per venam portam lienem repurgare. Ramus enim venæ, quæ à medio liene descendit, desinit in omentum. Hæc vacuatio in genere præter naturam est, ideoque periculósa, & ideo non facienda eius consuetudo. Quibusdam tamen naturis fit naturalis consuetudine, & incolumis valetudinis causa est. Tale est quod scribit Hippocrat. Atra bile vexatis, & renum paßionibus, hæmorrhoides superuenientes bonum. Preterea quòd quartana, melancholia, angina, pleuritide, & alijs eiusmodi grauioribus morbis hominem vindicat. Salutaris quoq; hæc vacuatio epilepticis, & ijs quibus tubercula, & maligna vlcera, oboriri solent. Fluunt tamen aliquando hæmorrhoides immodicè: oportet enim ea fluxione corpus leuari non infirmari.

Nota cõtra Anatomicorum sententiam.

Atq; vbi de commouendis hæmorrhoidi-

Curatio suppressarũ Hæmorrhoidũ

bus consilium est, peculiaris natura ægri primum interroganda est, an ex consuetudine & statis interuallis, soleat eo modo repurgari. Sunt enim quibus periodicè fluunt, mulieribus viduis, senibus, & quibus aliter supprimuntur menses, sanguis interim diuertit à venis vteri ad venas sedis, & ita per periodos sese repurgant. Præterea interrogandus est æger, num sit opportunus grauioribus illis morbis, quos diximus. Hæc enim efficiunt liberius consilium excitandæ huius purgationis.

Quibus modis excitentur ad fluxum.

EXCItatur aût aliquãdo purgationibus, quæ cachochymiæ conueniant, nonnunquã phlebotomia è malleolo, vel ijs venis, quæ superiore parte pedis eminent. Cucurbitulis cruribus admotis & sedi. Breuissima via est per sanguisugas. Ferro etiam aperiuntur vbi turgent (quas mariscas appellant) tum etiam medicamẽtis, vt oleo è nucleis persicorum, aut in quo res acres & amaræ coxerint, hoc vnguẽto.

℞ pinguedinis lardi erasæ ex parte pinguissima ℥ j. olei irini, rutacei aut similium ʒ iij. fiat veluti vnguentum molle, quod subigatur ex succo cœpæ rubræ. Eadem cœpa aceto macerata, contusa & imposita. Verum vbi dolor, cũ butyro subigimus, oui vitello, vel rosaceo. Pulpa colocynthidos in conuenienti oleo immergitur, ano alligatur, quinque horarum spatio ap-

tio aperitur. Suppositoria ex radice cyclaminis, ex radice cauliũ induntur. Fortiora sunt, si taurino felle illinátur. Fellis genera maximè flaua, sedi illinũtur, vel cotone excepta induntur. Pallida verò mitiora sunt. Fortè hoc est. Suppositoria.

℞ stercoris columbini in pul. redacti ʒ iij. inspergantur vnguento molli facto ex pinguedinis lardi ℥ j. olei in quo matricaria coxexit ℥ ſ. salis ʒ ij. omnia miscẽtur in mortario.

Celerius agent medicamenta, si antea affricetur sedes ex folijs ficus, parietariæ, aut alijs asperioribus, vt linteo canabino, vel detrito panno. Frictio ani.

Fotus quoque ex cyclamino, centaurio, abrotono, matricaria, bryonia, radicæ enulæ, ireos, absinthij & similium. Reliqua materia cap. de promouendis mensibus dicetur. Fotus.

SED aliquando latent hæmorrhoïdes: qua in re placuit antiquis, vt sedes inuerteretur, inusitatum nec ita tutum remedium nostris temporibus. Euertitur sedes, quo facilius remedia applicentur. Cæcæ hæmorrhoides quomodo aperiendæ.

℞ piperis, nitri ana ʒ j. leuigatis, locum attingito. Vti licet & sale gemmæ, & puluere seriphij & felle, absinthij succo, & matricariæ. Postea verò reponenda sedes ex ijs, quæ proprio capite dicentur.

DE HAEMORROIDVM FLVxu nimio. Caput LV.

HÆmorrhoides vbi immodicè fluunt, sistere oportet. Sistútur etiam vbi odiosæ sunt, atq; vbi grauius aliquod malum non metuitur. Ad eam rem vena cubiti secatur extremæ manus. Cucurbitulæ hypochondrijs, lumbis ac scapulis affiguntur. Reliqua curatio potionibus, topicis remedijs, chirurgia perficitur. Quod ad chirurgiam pertinet, meminisse oportet, anum maximè ea parte qua spincter est, partim neruosa substãtia, partim carnoso circulo constare. Neruosa substantia neq; acria & mordacia medicamenta, neque vstionem, aut incisionem sine conuulsionis periculo, perferre potest. Quod autem scriptum est ab Hippocrate, quodq; ad consilium sistendi hæmorrhoides pertinet; à diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruatur periculum est, ne intercus, aut tabes subsequatur, ita intelligere oportet. Medico sananti hæmorrhoides, id est, dum sanguinem mittit, affigit cucurbitulas, topica & reliqua remedia adhibet, rectam vitæ rationem instituit, vna quidem eo tempore relinquenda hęmorrhois, vt paulatim, non temerè ac præcipitanter fluxum cohibeat. Vbi verò persanauit, nulla relinquenda est.

Venæ sectio.

Chirurgia.

POTIO-

POTIOnes conueniunt, quæ partim cap. de ſputo ſang. partim cap. de profluuijs alui, & mictu ſang. deſcriptæ ſunt, & deſcribentur cap. de ſupprimendis menſibus.

Sed quia in hæmorrhoidibus ferè cruciat dolor, ijs vtendum eſt.

Ad Hemorrhoidum dolorem.

℞ olei viol. ℥ iij. ceruſæ lotæ ʒ vj, ceræ albę quantum ſa. Aliquando vitellum oui cum roſaceo, aut violato oleo, ſubigimus. Nonnunquam & albumen cõmiſcemus, vbi maior ardor eſt. Similiter & medullam panis albiſsimi ex ſupra dictis oleis ſubactam, emplaſtri modo apponimus. Conueniunt & mucilagines portulacæ, lactucæ, ſed maximè pſyllij. Fiunt quoque ſacculi ex rebus anodynis, fiunt fotus ex ijſdem. Atque vbi doluerit grauius.

℞ olei viol. ℥ ij. populeonis ʒ ij. cum ouo integro, fiat vnguentum. Quod ſi res vrgeat, opij ℈ j. commiſcere potes.

Nimia aſtrictio uitãda.

Poſtremo videndum eſt, ne aſtringentibus immodicè, nimium reſiccatus podex, non præſtet officium. Itaque fomentis humectantibus corrigendum vitium eſt. Similiter cum nimium refrixit, refrigerantibus medicamentis & narcoticis, temperandus eſt.

Poteſt ſiſti hæmorrhois ſiccantibus, cauſticis, volſella præhenſis & vincolo interceptis venis. Laudatur farina volatilis, aranearũ te-

la, & alia in fluxu ſanguinis enumerata.

Hæmorrhoides quomodo ſecantur.

VRVNT, & (vt loquuntur) mortificát ex puluere rad. caulium torefactæ, & ſtercore canino ſimiliter cremata, fæce arida vini aſtringentis cremata, adiecta tertia parte vitrioli Romani. Extremum eſt arſenicum rubrum cum æqua parte aluminis plumæ. Oportebit autem prius quàm hæc admoueas, ſedem madefacere vino aſtringente.

DE EXITV ANI.

Caput LVI.

Cauſæ.

ANus totum inteſtinum rectum eſt, aut laxitas extrema eius. Excidit hæc infirmis muſculis obliquis, qui ſedē ſurſum reuellunt, & laxitate membranarum, quibus oſsi ſacro & lumbis colligatur: nerui etiam reſolutione, qui ab extrema ſpina ad ſedem porrigitur.

Curatio ſi ſimul inflammatio adſit.

ITAQVE primum animaduertes, num qua inflammatio adſit, quod tumore, rubore, calore & duritiæ intelliges. Hic ſanguinem è brachio detrahes, deinde etiam è malleolo, ſi fuerit opus. Materiam inflammationis reſoluentibus medicamentis, & laxantibus digeres, admixta eorum parte, quæ recupercutiát, & corroborent.

Topica remedia fruſtra ſunt adhibita ſedi, ſi à læſo neruo vitium eſt, tumque applicanda extremitati ſpinæ, vbi coxa eſt, redeundumq;

dumq; ad genus curationis,quod cap. de Paralysi dictum est.

SI verò infirmitas est eorum obliquorum musculorum,& corpus crassis,& viscidis humoribus abundat. Purgatione primum vtendum est, ex hiera simplici, agarico, hiera diacolocynthidos & similibus. Tum si qua sordes inhæsit ano, detergenda prius hydromelite, vrina propria, decocto betæ, muria, marina aqua. Si ob musculorum infirmitatē.

Postea verò fotus conueniet sæpe repetitus ex vino austero,in quo acacia,hypocystis, myrtus, malicorium,rosæ, scoria ferri, & alia eiusmodi astringentia, coxerint, adhibita ratione quæ iubet :mollioribus corporibus mitiora, durioribus, fortiora remedia esse adhibenda. Fotus.

A fotu vnctiones, insperſiones puluerum, insessiones & balnea vsurpanda sunt. Quanquā inunctiones,& olea, quæ lubrica sunt omnia,non sine ratione quidam reijciunt : alij admittunt, quia firmius inhærent. Laudabitur oleum nardinū,costinum,laurinū,masticinū, rosaceum : quæ vbi inuncta fuerint, puluis ex arida pice tria,seta porcina vsta,galla,fimo canino, cornu cerui, carabe, sanguine draconis, mastice,corallis, & similibus. Vnctio.

Suffitus è bdellio, pice arida,pinea,colo-

phonia, exuuio serpentis, lapide molari candente consperso aceto, in quo porri folia coxerint, vino austero nigro, in quo aliquid astringentium efferbuerit.

Insessus. Insessiones in aqua sulphurea, marina, bituminosa, aluminosa & similibus. Puluis.

Pulueres inspergendi ano. ℞ sang. draconis, malicorij, ana ℥ j. gallarum bituminis ana ℈ ij. subtilissimè trita & cribrata inspergantur.

℞ carabe, cornu cerui vsti, coralli, balaustiorum, thuris albi, antimonij, acaciæ, ana ℥ s. trita inspergantur, aut incorporentur, vitello oui, & modico olei. Vitellum oui vsurpamus, vt in eo pulueres incorporentur, tum quia nō vt oleum, sordes relinquit.

Emplastra. Emplastra fiunt ex ammoniaco, bdellio malaxatis cum oleo nardino, & similibus consperis puluisculis, quæ astringant. Ossi sacro & perinæo, & sedi apponi debent, & ne decidant, fascijs contineri. Tempus remediorum, vbi iam ægri deiecerint, & abluta sedes reposita fuerit.

DE EXITV MATRICIS. *Caput* LVII.

Relaxatis vinculis, refrigerato vtero, collecta mucosa substantia, vterus excidit, senibus magis, & ijs, quæ ex instituto vitæ nudos

dos pedes in frigido continent, aut diutius in lapide frigido sedent, vel aerem frigidiorem excipiunt, maximè in puerperio, & tempore menstruorum: casu, ictu, resolutione quoq; decidit, in vehementi mictu eo modo, quo vrina & stercora præter voluntatem effluunt, ita etiam vterus delabitur. Totum vterum decidere posse, quidam è Græcis negant, contra hos Arabum authoritas & experientia facit, tumq; desperata res est, vt cum inueterauit malum, quod ætate senili non facilè curari potest.

INITIO animaduertendum, num retenta vrina aut stercus. Primum enim excludere oportet. Vterus enim in medio positus & con pressus magis, expellitur, nec facilè reponitur. Aptè collocanda mulier est, sublatis coxis inuicem dilatatis, reflexis poplitibus, atque eo modo, quo in sede diximus, detergendum, abluendum, fouendum. Curatio.

Pessuli quoq; è lana molli inuoluta linteolo fingendi sunt: in ea lana pulueres misceri possunt, qui vterum confirmant. Pessulus factus pro ratione ætatis, immergendus est vino, in quo adstringentia coxerint, & ita insinuandus est pudendo, prius reposito vtero. Pectinem quoq ue & lumbos lana, bombace, aut spongijs imbutis, oxycrato contegemus, & ne concidant alligabimus. Pessuli.

Cucurbituæ. Cucurbitulæ cum multa flamma vmbilico & fumini, atq; etiam ilibus affigendæ ſunt, ſæpiuſque repetendæ, atque interuallis cucurbitularum, emplaſtrũ ſupra vmbilicum, & lumbos affigendum.

Emplaſtrũ. ℞ galbani ℥ j. ſ. myrrhæ, thuris albi, ana ʒ ij. therebinthinæ ʒ ſ. ſeminis lauendulæ ʒ j. moſchi ℈ ſ. incorporentur, & extendantur in aluta. Peſſarium.

Peſſarium. ℞ aſſæ fœtidæ, myrrhæ, thuris albi, maſtiches ana quantum ſ. pro ætatæ, & ratione mulieris, f. peſſarium malaxatum, cum oleo laurino, vel de lilijs, addendo ʒ j. ſem. lauendulæ, & baccarum lauri ℈ ſ. Naribus odora, vtero fœtida admouenda. Pannis lineis inuoluendæ partes pudendi, & vicinæ perfumigatis cum myrrha, & thure.

Suffumigia & inſeſsiones vt prius. Sed hic peculiariter ex lauendula, biſtorta, folijs & baccis lauri, adiecta portiuncula myrrhæ, thuris cum cortice, & maſticis.

SI putruit vteri pars quæ decidit, placuit Græcis & Arabibus, vt quicquid corruptum, ſi amputetur.

DE SISTENDIS MENSIbus. Caput LVIII.

MEnſis naturalis eſt purgatio, niſi vel quantitate excedat, vel præter perio-

dos

dos effluat. Decimo quarto anno ferè excitatur, nonnullis duodecimo, rarissimè septimo. Desinit verò xl. aut paulò post. Aliquando ad lx. producitur. Alijs singulis mensibus, nonnullis vno aut pluribus mensibus intermissis. Quibusdam sæpius vno mense redit. Iunioribus ad lunæ plenilunia, alijs ferè decrescente luna, tribus, 4. 5. 6. 7. diebus, eo plus minúsue. Maiorem copiam efficiunt, ratio vitæ plenior, otium, temperamentum frigidius, tenuitas sanguinis aut acrimonia, amplitudo vasorum quæ plurima, & maxima ad vterum perueniunt. Subsistere debent in totum grauidis, puerperis, lactantibus.

Causæ copiosioris fluxus.

Curatio

VT sistas, primum animaduerte causam immoderati fluxus, colorem sanguinis fluentis, si linteolo excipias, animaduertes. Calida enim menstrua, vbi sanguis calidior est: florida atque rubentia, vb sanguinis copia in causa est: subalbida, vbi sanguis frigidior est.

Curatio fluxus à sanguinis copia.

RVBENTIBVS itaque mensibus, siquidem corporis plenitudo est, venam è cubito secato. Si verò magna pars plenitudinis iam depleta est, aut alioqui non redundat in reliquo corpore sanguis, cucurbitulas satis amplas cum multa flamma, sub mammis affigito, vinculis brachiorum vtitor, frictionibus manuum & calfactionibus. In vsu phleboto-

miæ & reliquorum, interrogabis, qua parte vteri maior grauitas insit: Si dextra parte, basilicam dextram secabis, dextram manum ligabis, fricabis, calefacies, sub dextra mamma cucurbitulam affiges.

Curatio fluxus qui à cacochymia.

SI verò cacochymia est, biliosum sanguinem rhabarb. ℥ j.ſ. aut hiera picra repurgabis. Si pituita, eadem hiera, aut rhabar. vteris, sed addito agarico. Sed verè vbi nulla plenitudo, aut manifesta cacochymia, cucurbitula sub mammis, aut in humeris apposita, vincula manuum, remedia quæ sanguinem sistunt, satis esse possunt.

IN laxitate meatuum astringentibus: in tenuitate sanguinis incrassantibus, vtendum est. Conuenit inter Græcos & Arabes succum plantaginis efficacissimè menses sistere. Memini (inquit Gal.) cum iiij. diebus iugiter sanguis fluxisset, nec sisti posset, cyatho vno succi plantaginis iniecto, constitisse. Recentiores, aqua plantaginis vtuntur, in qua melius fuerit aliquid dissoluere eorum, quæ sanguinem sistunt, vt ℥ j. troch. de carabe, de spodio, de terra sigillata, & eorum, quæ iam antea sæpe enumerata sunt. Loco pessulorum, lana vel coton, aut mollius linteolum, astringente succo, vt plantaginis inssuccatur, & ita inditur genitalibus.

Plantago.

Pessuli,

Pessuli si finguntur, tenues sint ac rotundi ad instar digiti, è lana, bombace aut concerpto linamento, quibus medicamenta adstringẽtia excipiantur. Deinde conuoluantur vel serico raro, vel lineo linteolo, pendeat è filo, vt cũ fuerit opus, retrahatur. Mulieres vincula fingunt è peruinca (quam vulgus vocat vincam peruincam) quæ inijciunt cruribus.

Laudant vngulas asini, pelles anguillarum, pelliculas interiores nucis auellanæ, quæ cum succo cydoniorum, coguntur in pilulas, aut diluuntur in succo conuenienti. Sanguinem sistentia.

Vtuntur epithematibus lumborum & crurum posteriorũ, ex aqua plantaginis, sumach, vino rubro astringente, & similibus. Lumbis imponenda.

℞ scoriæ ferri crematæ & in aceto extinctæ, deinde puluerisatæ, lapides hæmatitis triti ana ℈ ij. syrupi myrtillorum & rosarum ana ℥ s. aquæ plantaginis ℥ ij. f. potus.

℞ trochis. ambræ citrinæ, coralli rubri ana ℈ j. f. puluis, detur ex aqua plantaginis. Aliud.

℞ boli armeni ʒ ij. coque in vino subtili, sub austero ad ℥ ij. bibatur colatura. ℞ conser. ros. antiquæ ℥ ij. seminis plantaginis ʒ ij. sanguinis draconis, boli armeni ana ℈ iiij. ambræ citrinę, coralli rubri, ana ʒ j. cum syrupo de myrtillis fiat opiata, datur castaneæ magnitudine serò & manę ante cibum.

A proprietate quæ cõueniant. Laudant puluerẽ è pectunculis, qui è Compostella & mari importantur. Iaspis, onyx, id est, cornelina, hæmatites, corallia rubra prodesse creduntur, siue in puluerẽ redacta vsurpentur, vel è collo pendeant: manui alligentur, aut supponantur mammis.

Distillatũ. Distillatum è conserua consolidæ maioris & limacibus ana. Aliquando ad stupefacientia veniendum est.

Narcotica. ℞ Philonij ℥ j. boli armeni ℈ j. cum vino styptico, fiat potus.

Ablutiones ex vino austero, in quo saluia coxerit, aut aliquid ex materia astringenti. Inunctiones ex oleo rosarum melino, vel in quo astringentia coxerint.

DE PROVOCATIONE MENstruorum. Cap. LIX.

RESistunt menses ætate, conceptu, lactatione, & hi prouocari non debent. Sunt quibus propter calidius temperamentum & siccius, propter frugaliorem vitam, exercitia maiora, vacuationes tùm manifestas, tum insensibiles, vt sanguinis vacuationes per nares, phlebotomias frequentes, & alia eiusmodi. Itẽ in ijs, quæ à longo morbo se confirmant. Alijs propter pinguedinem, in quam totus sanguis conuertitur: nonnullis propter gracilitatem & inopiam sanguinis. Neque his commouendus men-

dus mensis, vt nec bene carnosis. Siquidem cessatione menstruorum nihil offenduntur. Vnicum tamen est quod excipi debet, ratio generationis. Nam vt mulier suppressa, nihil lædatur purgatione, quia tamen sine menstruo sanguine generatio esse non potest, oportet quidem naturam assuefacere, vt sanguinem in vterum deriuet. Nam in multis conceptum adiuuat bis aut ter in anno detractus sanguis, sed ijs maximè, quibus præ copia sanguinis, menstrua resistunt. Huius rei author est Hippocrates. Frequentissimum est, vt vel crassiore sanguine, vel alioqui interceptis vteri venis, resistant menses.

Menses quando mouendi.

Hac in re consilium est Galeni, vt vena malleoli aperiatur, tria vascula detrahantur, aliquot post diebus, duobus tribúsue, balneum imperetur, in quo chamæmeli flores, origanum, maiorana, arthemisia, lauri folia, conyza, baccæ iuniperi, & lauri, aliaq; eiusmodi coxerint. Statim à balneo melicratum propinandum, è pulegio, calamentho, & alijs eiusmodi. Alioqui nostro more syrupus de arthemisia, de hyssopo, prasio, calamentho, de byzantijs, de duabus aut quinque radicibus ad ℥ j.ſ. cum aqua cuscutæ, decocto cinnamomi, aut casiæ ligneæ ad ℥ iij. propinandus est. Quod si fortius volueris, castorei ℈ j. aut eo plus ad-

Curatio si à sanguinis copia.

Menses mouentia.

ijcies. Hac arte ſemper expertus eſt Galenus moueri menſes, vt nihil inde mulier læderetur. Cucurbitulæ pubi, inguini, interiori femori affigi debent.

Purgationes conueniunt ex hiera picra, quę hoc modo parari debent:

Purgatio. ℞ aloes ſucco trini ʒ ij. ſpicæ caſsiæ ligneę, cinnamomi, xyloaloes, radicis gentianæ, maſticis, aſari, cubebarum ana gra. vj. croci grana iij. omnia puluerisata incorporentur cum modico conſeruæ anthos, aut borraginis, propinentur cum vino albo tenui.

Conſerua borraginis. Secretum eſt quarundam mulierum, vti conſeruæ borraginis diſſoluta in vino albo tenui. Poteſt & puluere hieræ aliquid agarici commiſceri. Laudantur & pilulæ alephanginæ, maſticinæ, & ſimiles. Laudatur quoque hæc purgatio.

℞ caſsiæ fiſtulæ ʒ x. pulueris liquiritiæ ʒ ij. croci gr. iij. mellis anthoſati ʒ iij. diſſolue in decoct. cicerum rubrorum. Vacuato & bene purgato corpore, alijs remedijs vtendum eſt.

Suffitus. Suffitus aromatum muliebria ducit. Fiunt autem cum baccis lauri, iuniperi, ſiccis herbis adoratis, caſsia lignea, & alijs eiuſmodi.

Encathiſmata. Encathiſmata vt prius, vbi viſcoſi & pingues humores ſunt, petroſelino, porro, apio, allijs, ſmyrnio, ſtyrace, melanthio, fœniculo,

vtroque

vtroque centaurio vtendum eſt, & ad ſuffitus & olea comparanda, & peſſulos. Laudatur oleum de behen, de nuce moſcata, laurinum, de iunipero.

Sunt qui geniſtæ floribus ad dimidium vas impleant oleum chamæmelinum ſuperfundant, fideliter obturatum vas fimo ſepeliunt, aut reponunt in furno calido, ſinuntque efferueſcere: quo oleo inguina inungunt & peſſulos madefaciunt. Geniſtæ flores.

Optimum eſt imperare decoctionem cicerum rubrorum coctorũ cum radicibus petroſelini, vt cum butyro, ſale modico iuſculum paretur, cui vt ferè conſuetudo eſt, pulueremcinnamomi, & tantillum croci inſperges.

Laudantur aquæ abſinthij, cuſcutæ, pulegij, calamenthi, mentaſtri, rubeæ tinctorum, ſauinæ, vinum album tenue, colatum per manicam Hippocratis cum ſaccharo, in aqua anthos diſſoluto, & tantillo cinnamomi. Hermodactylos ſcribit Meſue, non habere par remedium mouendis menſibus, & fœtui mortuo. Fortes quoq; ſunt trochiſci de myrrha. Hermodactyli. Trochiſci.

℞ myrrhæ electæ ℥ j. lupinorum optimè tritorum ℈ v. foliorum rutę, menthaſtri, pulegij, cumini, rubeæ tinctorũ, ſerapini, opopanacis ana ℈ ij. formẽtur trochiſci pondere ʒ ij. detur vnus manus, cum aqua, in qua lupuli ſemẽ coxerit, vel:

℞ myrrhæ, ℈ ij. aſæ fœtidæ, ℈ ſ. cinnamomi gra. x. croci gra. ij. cum aqua rubeæ fiant pil. Fœniculi radix, melanthium, & hoc quidem præſtantiſsimum eſt. Alij dant tryphera ſine opio ʒ j. cum decocto cinnamomi. Eodem modo mithridatium dari poteſt. In ſumma omnia quæ magis calefaciunt, & ſiccant minus. Peſſulus.

℞ olei muſcellini (conuenientiſsimum) ℥ ij, pul. gentianæ ʒ ij miſce cum cotone moſcato in eo madefacto, fiat peſſulus.

DE PRAEVOCATIONE vteri. Cap. LX.

Signa uitæ & mortis.

MVlta ad hanc rem ex cap. 5. lib. 6. de locis Affectis, & Aetio colligenda ſunt. Vocatus in paroxyſmo, primum an viuat mulier cognoſcere debet. Nam ſæpe fit, vt grauiore acceſsione intereant, aut non aliter iaceant, quàm mortuæ. Infidele eſt ſignum vitæ, quod floccis lanæ naribus admotis, vel vaſe pleno aquæ impoſito regioni ſtomachi, colligitur. Sternutatorijs potius de vita cognoſcendum eſt. Secundum eſt, vt cauſam cognoſcamus.

Cauſæ ſuffocationis.

Cauſæ, Menſtruorũ ſuppreſsio, ſpermatis corruptela in nubilibus virginibus, viduis, & ijs mulieribus, quæ ſua natura ſalaces ſunt, & preter conſuetudinem non miſcentur viris. Aliquando

quando humor quidam craſſus, & veluti ſemi nalis vtero collectus corrumpitur.

In paroxyſmo extremorum vincula, frictio nes maximè crurum ex ſale, aceto, vel ſimilibus: oderata vtero, grauiter olentia naribus ad mouēda, male olida, vt caſtoreum, galbanum, gagates lapis, capilli hominis, aſſa fœtida, plumæ crematæ, cornu cerui, cornua reliquorum animalium cremata, euphorbium. Quę omnia excipi poſſunt pice humida, vel in puluerem redacta, galbano & rebus huiuſmodi. Hujus cauſam repetes ex problemate 60. lib. 2. Aphro diſei. Odorata verò quæ vtero adhibentur, zibet ſiue ſchiuetta, bombax moſcatus, aut coton moſco conſperſus, oleo moſco perfuſum, gallia moſcata, alipta moſcata, çaryophyllum & ſimilia. Formulæ. Curatio paroxyſmi.

℞ aliptæ moſcatæ ℈ ij. ligni aloes, caryophyllorum ana ℈ j. moſci, ambræ, ana gra. iij. excipiantur oleo de ſpica. Aliud. Suppoſitoria.

℞ galliæ moſc. ʒ ij. cinnamomi, folij, macis, caryophyl. ana ℈ j. ambræ, moſci, ana gra. iiij. ladani, ſtyracis, ana q. ſ. cum aqua roſ. moſcata, fiat veluti ſuppoſitorium, quod indatur genitalibus. Pul. eiuſmodi aliquando inſpergemus coſtino, de ſpica, laurino, de lilio, vt inde intinctos digitos obſtetrix affricet ori vteri in virginibus, in alijs etiam interiora. Et vt Olea illinenda utero.

à paroxyſmo excitentur, vellicandæ aures, nares, ſed maximè pili, qui pudendis adnaſcuntur. Aliquando etiam piper, zingiber, & alia eiuſmodi pudendis immittuntur, vt naturam irritent ad excretionem. Et quia magna ex parte plenæ ſunt ventorum, glandulis, clyſteribus, vnctionibus quæ flatus diſcutiunt, vtendum erit, ex cap. de Colico dolore.

Excitatis à paroxyſmo, nullum remedium melius marito: alioqui ſi retenti menſes in cauſa ſunt, mouere oportet ex proximo cap.

Purgatio. ET ſi humor craſſus, purgationes conueniunt. Imperabis igitur hieræ diacolocynthidos ℈ iiij. aut infuſionem ʒ j.ſ. agarici trochiſcati, vel ʒ ij. pul. hieræ picræ. Alioqui,

℞ therebinthinæ lotæ in aqua matricariæ ℥ ſ. ſe. dauci, agni caſti, cinnamomi ana gr. viij. cum modico conſeruæ anthos, fiat bolus.

℞ therebinthinæ ʒ iij. agarici trochiſcati ℈ ij. ſem. dauci, canabis, ligni aloes ana gr. viij. cum eadem conſerua, fiat bolus. Purgationes per interualla repetendę ſunt, ſed paulatim imminuto modo.

Caſtorij uſus. Laudatur caſtoreum per interualla datum. Hoc autem varijs modis vtimur. Nam in paroxyſmo diſſoluimus in aceto acerrimo, & naribus admouemus, vel eius ℈ ij. ad ʒ j. exhibemus, cum aqua diſtillationis radicum dauci, vel

ci, vel arthemisiæ. Acetum scyliticum, vel in quo puleginm, calamenthum, thymum, origanum, conyza coxerint, naribus admotum, vel etiam potum adiuuat, etiamsi vterum lædere videatur.

Laudatur ab antiquis semen & succus plantaginis, cinnamomum, lignũ aloes, semen dauci, canabis, rutæ, agni casti, radix nympheæ, & quæ semen extingunt, vomitus, sternutatio, cucurbitulæ primũ inguinibus & coxis, deinde ilibus cum multa flamma affixæ. Hypochõdria quoq; fascijs deligata & constricta, glomeres fili anethino feruenti inculcati & calidi, alternatim appresſi pectini. Laudatur puluis cõchularum, id est, blattæ bysantiæ & pectunculorum: postea alia quoque remedia.

Dropaces & sinapismi extremæ spinæ & ventri appositi, balnea naturalia, frequens coitus, vnctio ex oleo dulci, in quo semen agni casti, rutæ, cinnamomum confracta omnia coxerint, vt eo sumẽ & lũbi inungantur. Adijcitur aliquando piper, pyrethrum & similia. Sed ineunda ratio corporis habitus, temporis anni, & & reliquorum. Similiter clementer agendum est cum prægnantibus. Varia remedia.

QVod ad phlebotomiam attinet, suspectũ remedium, nisi suppresſi sint menses. Tum eo modo quo in mouendis mensibus. Si quidem Venæ sectio.

nigella mulier est, phlebotomo malleoli venam aperies: sin alba & mollis, vel scarificabis, vel sanguisugis vteris.

DE RHAGADIBVS.
Caput. LXI.

Rhagades quid.

RHagades vlcera sunt ani & vteri, diducta in fissuras: sed alia humida et sinuosa alia callosa, nonnulla cancrosa & feruida.

Curatio.

Saniosa primum ablues sero lactis, mulsa: deinde consolidabis tetrapharmaco in rosaceo dissoluto, medicamentis è lithargyro, chalcitide & metallis. Callosa remollies, œsipo, radice lilij, iride illyrica, quam excipies terebinthina. Alioqui vitellum oui assum cum lacte muliebri subactum impones. Vbi feruor & cancri suspicio.

℞ cuscutæ lotæ ʒ iij. tutiæ præparatæ & puluerisatæ ʒ ſ. misce. Aliud.

℞ succi portulacæ, lactucæ, plantaginis psyllij, horum vnius ℥ iij. agitentur in plumbeo mortario, pistillo blumbeo ad crassitudinem. Ceratum rosatum Galen. subactum cum succo solatri. Vnguentum de cerusa, de plumbo, quibus tutia lota & infriata commisceri debet.

DE MOLA VTERI.
Caput LXII.

MOla cruditas quędam eſt et coagulatio materiæ, quam naturalis calor informare non poteſt, vixque curari poteſt. Mola quid

Vtendum tamen primum quidem mollientibus ex capite de Scyrrho, deinde ijs quæ partum eijciunt, & fœtũ mortuũ excludunt, qualia ſunt, trochiſci de myrrha & hermodact. etc. Curatio

DE HERNIA.
Caput LXIII.

QVæ ad hanc rem pertinent plurima cap. 18. & ſequentibus libri 7. Cornelij Celſi: multa quoque apud Paulum & Aetium. Cæterum tendo quidam membranoſus eſt, vtrinque ab inguinibus procedens in peritonęum exporrectus, cuius robore peritonæum confirmatur, atq; hinc omentũ & inteſtina. Relaxatus herniam facit, deſcēditq; plus minúsue inteſtinum & omentũ: aliquando in inguina, nonnunquam in ſcrotum, vnde nomina ἐντεροκήλη & ἐπιπλοκήλη, aliquando rupto peritonæo idem fit. Graue malum eſt, cum cęcum inteſtinũ deſcendit, inteſtinũq; in ſcroto cõuoluitur Supprímũtur fœces, regurgitantq; in ventrẽ. Teſticulus erythroide tunica veſtitur. Poſthác vero adnata eſt, δαρτὸν, in ſuperficẽ extenditur. Cauſa herniæ.

folliculus genitalis, quod ὄσχεον Græci, scrotum Latini vocant. Inter erythroidem & testiculũ, & inter darton & erythroidem, aut etiã in scroto, aquosa sanies aut aqua colligitur, vnde hydrocele. Nonnunquam soli flatus herniam repræsentant, idque recens natis puerulis sæpe contingit, facileque discutitur. Varicosus ramex, Sarcocele, testiculorum inflammatio, tumor, & similia extra rationem herniæ sunt.

Hydrocele

Curatio aquosæ & ventosæ.

Aquosa & ventosa hernia remedijs curantur, quæ descripta sunt in ascite & tympanite. In aquosa peculiariter laudatur emplastrũ factum è recenti stercore vaccino, & parte tertia pulueris boli armeni vel sanguinis draconis. Laudatur & ℥ s. pulueris è cremata radice brassicæ. Puluis is incorporatur adipe suillo veteri.

Enterocele & epiplocele.

Ad ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην multa sunt remedia medica, tum quæ per os sumuntur, tũ quæ apponuntur. Sed in primis habenda ratio, vt quod decidit, reponatur. Quies ad multos dies imperetur, molli lecto decumbant pro ratione corporis. Abstineant clamoribus, & in egerendo manum apprimant pubi & scroto, ne quid recidat.

Fasciarum preparatio.

Fasciæ seu loculamenta scroti ex panniculis comparantur, sed ita compactis, vt solidæ sint. Optimumq; fuerit materiam eiusmodi fasciarum

ſciarum aſtringentem materiam primum imbibiſſe. Poſſunt & ex ligno, ferro, aut ſolidiore alioqui materia confici, ſed ita, vt interiori parte qua ſcrotum contingant & inguina, molliori corpori inducantur.

Laudatur ſuccus iaceæ vtriuſque, datus ſingulis diebus mane quantum teſta oui capiat cum modico vini albi. Ex eodem ſucco depurato iulep & ſyrupus comparari poſſunt. Laudatur pul. & ſuccus radicis conſolidæ maioris, ruſci, oſmundę regalis, ſigilli Salomonis, panis, cuculi, radix valerianæ. Pulueris ʒ j. datur pueris in lacte cocto, addito oui vitello, aut ex ſolo oui vitello, ſuccis vtemur, vt ſucco iaceæ, eodem modo ſeminis thlaſpi, vermibus terrenis, limatura chalybis, lapide quem vulgus diamanta vocat, hepatica trita, & hęc quidem probata multis. Iaceæ ſuccus.

Herbula eſt in ſabuloſis, ramulos multos in terram ſpargit, folijs minimis & rotundulis abundat alijs folliculis, ex viridi flaueſcentibus per ramulos ſparſis, aſtringente guſtu, ex qua ſuccus expreſſus ſubinde affuſo vino albo, certiſsimum, & aliquoties probatum remedium contra deſcenſum inteſtini. Nam nouem diebus ita percurat, vt poſtea non redeat malum. Herniaria.

Ex radicibus oſmundæ regalis repurgatis, fiunt ſyrupi, qui huic rei conuenient, radices

eiusmodi in vino nigro austero coqui possunt & emplastra inde finge. Alioqui vtendum est emplastro pharmacopolarum contra rupturam. Valet & lenticula aquæ trita & alligata, similiter & cicuta: Valet radix pentaphylli sicca trita ʒ j. pondere ex vino data. Foliorum equiseti ℥ ſ. tritorum ex aqua calida. Parabile emplastrum ex ℥ j. bdellij; mane quidem subacta cum saliua hominis, vespere verò cum vino austero. Radix cyperi, arnoglossæ, aristolochię longæ & rotundæ, & in emplastrum formata, & trita prius. deinde data potui. Emplastrum.

Emplastra.

℞ masticis, corthicis thuris, nucis cupressi, myrrhæ, sarcocollæ, vsblach (glutinis piscium) ℥ ſ. vsblach in aceto dissoluatur, reliqua trita misceantur, extendantur in aluta. E nucis cupressi & gallis immaturis ad cõsumptionem tertiæ partis coctis, emplastra fiunt parabilia, quæ in mensem relinquuntur, nisi super ueniat dolor. Liquor autem in quo coxerit potui datur. Probatissimum Octauio.

Octauij emplastrum.

℞ balaustiorum ℥ j. ſ. gallarum ℥ ſ. radicis asphodeli, radicis narcisci: aut si hæ radices desunt; radices arnoglossæ & betæ loco personatæ ana ℥ j. ſ. coquantur in vino, tundantur & in emplastrum subigantur.

Emplastrũ de spuma argenti.

℞ spumæ argenti vehementer combustæ ℥ ix. aceti ℔. ij. & ℥ iij. olei cydoniorum ℔. ſ. succi

fucci plantaginis ℥ ij. ſpuma argenti in aceto extinguetur etiam dum feruens, deinde teratur, tum adiecto oleo & ſucco, perpetuò agitando, fiat decoctio ſecundum artem, vt fiat emplaſtrum, quod quinque diebus continuis adhibebitur. Aliud emplaſtrum.

℞ thuris, maſticis, ſarcocollæ, acaciæ, lapidis hæmatitis, mumiæ, tragacanthi, gũmi Arabici, terræ ſigillatæ ana ʒ iij. boli ar. gallę, lithargyri, balauſtiorũ, nucis cupreſsi, mallicorij, ariſtolochię longę & rotundę, corticis olibani, roſarum, radicis vtriuſq; conſolidæ, orobi, ſiliginis, ſambuci, cyperi ana ℥ ſ. picis naualis ℥ ij. ſ. colophoniæ, reſinæ pini, terebinthinæ ana ℥ j. viſci quercini ℥ j. ſ. cerę ʒ ij. pilorũ leporis vſtorum ʒ iiij. olei in quo pingues ficus coxerint ℥ ſ. fiant magdaleones ſec. artẽ, de quibus portio extendatur in aluta & applicetur. Quòd ſi ijs remedijs nihil proficitur, ad chirurgiam veniẽdum eſt, quam ex 6. Pauli, & 7. Cor. Celſi & recentioribus chirurgis colliges. Magdaleones.

DE ARTHRITIDE.
Caput LXIIII.

CVra in vacuando & roborando. Vacuamus & repellẽdo & diuertẽdo & propriè vacuando. In cautione & initio morbi etiáſi arthritis frigida eſt, ſi quidẽ nihil aliud prohibet, Curatio.

Phlebotomia.

detrahendus sanguis est. Ischio vel crure laborante, venas brachij diuidimus: Et si quidē fluxio est à capite, mediam: si à reliquo corpore, basilicam. Hippocrates non satis manifesta ratione venas post aures aperit, vbi coxendix afficitur. Arabes vehementer laudant phlebotomiam ex interuallo annularis & parui digiti. Brachijs laborantibus, deplendus est sanguis è crure, & hæc perpetuo κατ' ἴξιν. In coxendice, post phlebotomiam è brachio, venam poplitis aut malleoli incidere oportet, multò magis si sanguis in causa est. Quod si dextrū crus, dextrum item brachium simul laborant, è sinistris mēbris vena secanda est: si vero in omnia membra dolor sparsus est, ex eo, qui minus laborat.

Purgatio in biliosa.

PVRgatio. In biliosa arthritide & serosa, Arabes fortioribus catharticis vtuntur. Alij primum quidem leuioribus vt cassia; deinde fortioribus. Melius fuerit partem materię leui pharmaco repurgare. Quod est reliquum partim vrinis, partim sudoribus excludendū est.

In pituitosa.

In pituitosa, aluus magis ducenda est, & cū melancholia in vitio est. Solo potu lactis asinini & decocto radicis graminis, dulcorato cum modico saccharo, calidæ arthritides interim curantur. Purgationes ex superioribus repetendæ sunt, & maximè ex morbis capitis.

Peculiariter laudatur purgatio quæ fit hermodacty-

modactylis.& Gręcis & Arabibus. Pilulę sunt ex hermodactylis paratæ in officinis, maiores in causa frigida, minores in causa calida. Minoribus rhabarbarum, maioribus agaricum adijcies, vt massæ pilularum ʒ j. sit, reliquorum ℈ j Græci hoc modo.

Pilulæ de hermodactylis.

℞ hermodact. ℥ ſ. anisi, cumini, piperis cõmunis & longi. zinziberis, medullæ seminis cartami ana ℈ j myrrhæ ʒ ſ. euphorbij recentis ℈ ij. masticis ʒ j. cinnamomi ℈ ſ. moschi gr. ij. cum aqua saluiæ, fiat massa, dosis ℈ iiij. ex hydromelite. Arabes hoc modo.

Pilulæ de hermodact. Gręcorum.

℞ hermodact. ʒ iij. se. cucumini, zinziberis ana ℈ j. trita incorporentur cum melle, detur cum aqua tepida. Hæc in pituita magis cõueniunt, in biliosa singulis dosibus gr. ij. aut iij. diagridij adijce. In biliosa hoc modo componunt.

Pilulæ de hermodact. Arabum.

℞ aloes ʒ j. diagridij gr. xv, rosarum rubrarum, seminis apij & fœniculi ana ℈ ſ. hermodact. ʒ j. ſ. fiat pilulæ dentur in nocte. Alij hoc modo:

℞ hermodactyli. ʒ iij. masticis ʒ ij. rhabarbari ʒ j. sacchari ʒ iij. fiant pilulæ, dentur ex aqua calida. Vtuntur electuario de succo rosarum et diacydonio cathartico in biliosa. In pituitosa ℥ ſ. turbith gũmosi in lacte cocti, vt expressio

bibatur. Neq; reformidant ℈ j. diagridij cum saccharo rosarũ. Comparant & pilulas è ʒ iij. sarcocollę, serapini vel opopanacis. Sed videndum in vsu fortium pharmacorũ, ne æger macilento sit corpore, virtute non ita firma maximè ventriculi & intestinorum. Periculum enim fit, ne inde citetur dysenteria. Et hermodactyli natura sua stomachum lædunt, propterea quidam è veteribus non radice, sed herba eius vtebantur, nihilo minus adiectis quæ stomachum roborant. Alexander loco hermodactyli, coronopodia herba vtebatur. Plurimum laudantur hæ pilulæ, nec stomachum lædunt.

Pilulæ quę stomachum non lędunt.

℞ agarici ʒ j. nucis moscatæ, zinziberis, ana ℈ ſ. infundantur in aqua mentæ, fiat leuis feruor super calidos cineres: materiæ expressæ adde rhabarbari ℈ iiij pulueris hieræ diacolocynthidos ʒ j ſ. diagridij ℈ ſ. cum infusione, fiant pilulæ dosis ʒ. j vel ℈ iiij.

Topica.

Topica sunt vt dolorem leniant, repellant, coquant, discutiant, roborent. Celebre iam olim, nunc etiam frequentatum remedium, medullæ panis p. j. dissoluatur in lacte calido, muliebri, bubulo vel ouillo, cui adde croci ʒ ſ. & si vehemens dolor fuerit, & calor, adde opij à ʒ ſ. ad ʒ ij.

Opium.

℞ tria albumina ouorum bene agitata & despuma-

despumata cum ℥ j. olei rosarum misce, linteola in medicaméto madefacta, subinde applica.

℞ cerussæ ℥ ij. dissolue in aqua endiuiæ & modico aceti, fiat liquidum vnguentum.

Quod si ad narcotica præ doloris vehementia veniendum est. Narcotica.

℞ olei rosarum ℥ iiij. opij ʒ ij. incorporentur. Aliud

℞ butyri recentis ℥ ij. mandragoræ subtilissimæ tritæ ʒ j. misce.

℞ lactis muliebris ℥ ij. opij ʒ ſ. Alia alijs locis descripta.

Sola aquæ frigidissimæ perfusio vel niuis aliquando satis est. Verbasci flores & folia, lenticula palustris, psyllium, nymphæa, violaria, portulaca, & similia trita per se vel rosaceo apponuntur in calida. A quibus leuiter digerentibus vtendum est, vt cerato ex oleo chamæmelino, anethino & similibus. In calida.

In frigida côueniunt, oleum in quo enula, aristolochia, gentiana, nepeta, iua, saluia, maiorana, rosmarinum, costus, radix althææ, vulpes, vermes terreni coxerint. Laudatur & oleum raphaninum, aut in quo galbanum liquefactum sit, oleum de terebinthina, oleum expressum è granis tritici, vel nuce moscata in lamina ferrea candente, quibus aliquando In frigida.

axungiæ commiſcentur: laudatur plurimum humana & vrſina: Oleum in quo folia ebuli cõxerint, vel ſuccus radicis eius. Sunt qui dolentem locum primum quidem frigidiſsima perfundant, idque iterum atque iterum: deinde è petroleo fouent.

Ab occulta proprietate iuuant.

Quædam occulta proprietate proſunt, qualia ſunt oſſa comminuta aut cribrata, deplume caput milui crematum & tritum, corium canis marini admotum loco, corium torpedinis, ciconiæ ſtercus, vt cum adipe vrſino fiat vnguentum, pulli ciconiæ oleo dulci, aut pulli cygni incocti, vt oleo, medulla ceruina miſceatur. Hiſtoria eſt Sexti Pompeij, qui pedibus immerſis aceruo tritici perſanatus ſit. Quod remedium poſtea medici ſecuti ſunt.

Ad tophos.

In tophis, caſeus inueteratus acris maceratus in decocto cruris ſuilli ſalſi, vt inde fiat emplaſtrum. Stercus caprinum in oxycrato diſſo lutum cum farina hordeacea: ſed hæc durioribus corporibus, in mollioribus, axungiæ, radices althææ commiſcendæ ſunt.

℞ collæ ſiue viſci, terebinthinæ, ceræ ana ℥ j. galbani ℥ iij. liquefactis vtitor. Vſus mithridatij & theriacæ poſt bene purgatum corpus laudatur Græcis, & Arabibus.

Balnea.

Balnea, ſi nullũ viſcus infirmum eſt, ſi va-

cua-

euatum corpus, remissionis tempore, munita prius ægra parte ex puluere boli armeni incorporato in oui albumine, vel hoc medicaméto.

℞ corticis granatorum, sumach ana p. ij. coquantur ad mollitiem, incorporentur cum p. iij. farinæ hordei & succi semperuiui, applicentur loco. Hæc autem ne balneo liquefactus humor defluat in partem infirmam, quibus remedijs & in repellendo vti licet.

Declinatione & præcautione.

In fine morbi, & ad præcautionem origanum, menthastrum, nepeta in aqua salsa diu coquuntur, inde fit potus. Vel vna parte salis tribus aquæ vel olei mixtis, locus affricatur. Abstinentia vini multos sanauit. Balnea quoque naturalia ad cautionem conueniunt. Vere & autumno podagræ, Aprili ferè & Septembri. Itaq; prius cauendum est. Humor ferè calidior chiragræ, podagræ frigidior.

De dolore coxendicis curando.

In ischiadicis venę sectio vt prius, ita & purgatio: Clysteres acres, cucurbitulæ loco affixę. Repellentibus abstinendum, fortioribus remedijs vtendum, phœnigmis, iberide, nasturtio, dracuntio, batrachio & similibus. Cauterio, incisione cum ferro, vt in Eupolemo Hippocrat. fieri oportuit. Hæc eadẽ reliquis arthriticis, vbi contumacius malum est. Inuentũ quoque hoc remedium vt superiori parte, qua hu

mor influit in articulum, caro nudaretur, venæ hamulo exciperentur, vinculis interceptę secarentur, atque via ita fluxioni præciditur. Plurima remedia scripta inuenies apud Aetium.

DE ELEPHANTIASI VERA
Caput LXV.

CONfirmata elephantiasis non curatur, recens curari potest aut prohiberi. Recentem volunt, quæ annum non superat, sæpiusque medicus, vt de morbo iudicet, quàm vt eundem curet, appellatur. Signis itaque de morbo pronunciandum est, temperamentum hominis spectandum est.

Causæ. Qui sanguine sunt crassiore, huic vitio magis opportuni sunt, & aliquando hæreditariũ malũ est. Locis calidioribus, adustus sanguis, aut à frigore congelatus, hoc malum inuehitur. A febribus continuis male curatis, ab vsu alimentorum & medicamentorum, quæ melancholiam gignant, aut pituitam crassam, quę nimium incidunt & attenuant, aut aliter calfaciunt, huius mali initium est.

Signa. His piger sensus & motus, spiratio retardatur, durescit aluus, vrinæ crassæ sunt ad instar iumentorum, aliquando tenues mingun-

tur;

tur: Spiritus olet grauius, frequens ructus & sternutatio incitatur, libido incenditur, concidit appetentia, crassescunt malæ, mentum, superciliorum locus, crura & manus, labia crassescunt, tabescunt musculi, & plurimum, qui medius est inter pollicem & indicem, fit grandinosum corpus, sub lingua varicosæ venæ nigricant, facies rubet ad liuorem. Pili è capite & supercilijs defluunt, habitus corporis commutatur, fiunt πτερυγώδεις quasi alati, Satyros repræsentant, somnia molestissima, incubi, mœror & anxietas, pulsus exiguus, imbecillis, creber, tardus: rubent oculi, & in rotunditaté coguntur, raucescit vox, narium pinnæ dilatantur, interiore parte nares constringuntur, dispnœa, mollis auricula contrahitur, excrementa olida, interstitium naris corrumpitur, fixus intuitus. Quibusdam detractus sanguis totus corruptus non cogitur. Sal iniectum calenti & recens extracto sanguini, non dissoluitur, acetum iniectum sanguini non commiscetur. Si ad spondilia colli transfiguntur nó sentiũt, perit tandem extremitatum sensus. Oportet igitur vocatum medicum, vt de re magni momenti pronunciet, hæc signa omnia percurrere: quæ vt aucta sunt, ita auctum vitium est.

Consilium est Galeni, vbi eius mali suspi- Curatio

cio, vt vere sanguis detrahitur, deinde refectis viribus exhibeatur medicamentum, quod atram bilem purget. Ratio vitæ instituatur quę sanguinem crassiorem attenuet ac depuret, vitato tamen immodico vsu attenuantium. Rationem vitę ex Aetio & alijs colliges.

Venæ sectio.

Consensus est Græcorum & Arabum, initio detrahendum esse sanguinem. Sed quia magna ex parte corruptus is est, particulatim ex vtroque brachio detrahes, eligesq; maiores venas, siquidem patiuntur multo magis cum spiratio difficilior est. Alioqui venas malleoli, vel extremæ manus aperies. Nonnunquam etiam contentus eris sanguisugis, aut cum cucurbitulis cum scarificatione appositis, partim tibijs, partim scapulis. Auicenna etiam venas capitis incidit & iugulares, si suffocatio imminet.

Purgatio.

A sanguinis missione purgatio ex hiera dia colocynthidos, deinde etiam adiectio diagridio, postremo etiam elleboro. Sed interuallis hæc fieri oportet quoque tempore cessamus à pharmacis, sero lactis, lacte etiam, et ijs, quæ humores reperant & depurant, vtendum est. Materia ex capite, de Melancholia petēda est. Postea vero frequens vomitus, primum quidē leuioribus, deinde raphano, postremo elle-

borismo.

phorismo. Cucurbitulæ inanes stomacho & visceribus admouentur, caputpurgia, gargarismi, vnctiones primum molles, vt è butyro, deinde vbi pruritus est, ex ijs quæ detergeant. Postremo cum vlceratæ sunt partes, conueniunt quæ leuiter astringunt.

Balnea primum dulcia (persuasum vulgo est, comparato sanguine humano, sanare hunc morbum) deinde si pruritus est, naturalia conueniunt. In multis remedijs brassicæ & absinthij decoctum, stœchados, ligni sancti commendatur, optimumque fuerit cum ijs passulas, ficus, violarum flores, buglossæ & borraginis incoquere, multò magis, si feruidior sanguis est. Balnea. Decocta.

Castratio singulare remedium ab antiquis: probata est scobs eboris, cornu ceruini, succus cyrenaicus, aselli aquarij, scyllæ semen, & hæc duo maximè contra dyspnœam. Smaragdus trita & ex aqua data, vel cum aqua & gummi illita. Erinacei caput laudatur à Galeno, nepeta, qua eo modo vtendum erit, vt ligno sancto. Laudatur theriaca quæ in calidiore conditione temperari potest, adiecta parte conseruæ viol. aut borraginis. Laudatur vinum in quo vipera viua extincta sit. Castratio. Smaragdus. Theriaca.

Viperarum carnes abscisso capite & cauda Vipera.

ad putrilaginem coctæ cum iure albo veterū, vel ij, quæ huic morbo conueniunt, vt & carnes edantur, & iusculum sorbeatur. Alioqui non tam suspectum remedium est, si pabulis caporum & gallinarum iusculum illud vel carnes misceantur. Senties penetrasse virus cum plumæ decidunt auibus, tumq; aues ad cibum elixabis. Sed theriacæ & remediorum vsus magis tempestiuus, à thermis comparatis è fumaria borragine, endiuia, nepeta, rosmarino, origano, meliloto & alijs eiusmodi.

Vstio. VSTIO frequens circa caput, satis fuit aliquando, alioqui in tibijs ad genu, aut musculosa parte brachiorum, imprimuntur.

DE EXCORIATIONE CVtis. Cap. LXVI.

Ceratū. EXcoriatio cutis, qualis est ex attritis, longiore decubitu, ceratum ex tribus partibus olei myrtini vel rosacei, & vna ceræ conuenit. Quod si calor est, ex succo plantaginis decocto sumach, aut rei frigidæ astringentis subigatur. Eidem rei conuenit vnguentum de cerussa.

DE RVBORE ET PVSTVLIS faciei. Cap. LXVII.

Vbi

VBi rubor faciei & pustulæ, sanguis è media vena brachij detrahendus est, imperanda purgatio, quæ partim flauam bilem, partim melancholiam purget. Cucurbitulæ ceruici & scapulis affigendæ cum scarificatione. Sanguisugæ malis, extremo naso, extremis labijs, lateribus menti affigendæ. Abluenda facies, primum quidem ex remollientium decocto, vt ficuum, passularum, ab ijsque fumus excipiendus, tum vel aqua plantaginis vel therebinthinæ, in qua mellis portiuncula dissoluta sit, faciem lauabis. Inunges autem axungia vrsina vel vulpina, alioqui taurina aut porcina, in qua farina ciceris incorporata sit. Caseus recens ex aceto subactus æstate. Conuenit vnguentum mixtum ex sapone gallico & vnguento albo, ex vnguenti albi parte vna & tribus olei rosarum subactis, cum aqua plantaginis nenupharis, semperuiui. Sanguis leporis calidus, & reliquorum animalium, vtilis est. Conuenit aqua distillationis florum salicis, succus limonum, sulphur viuum, cerussa, camphora.

VBI pustulæ eminent, vnguento enulato siue hydrargyro concidunt. Argentum viuum in saluia ieiuni hominis extinctum, & cerato, vel adipe concorporatum, efficacissi- Pustular. curatio.

mum eſt. Hyeme theriaca vti licet, vel vnguento citrino, vel pomulato, vel lithargyro auri modo Seruitoris præparato. Sed interim dum hæc fiunt, vitæ ratio inſtituenda eſt, quæ calorem hepatis attemperet, deinde etiam, qui fumos prohibeant à cibo, qualis eſt tragea communis, puluis communitatis adiecto coralli modico.

DE DOLORE.
Cap. LXVIII.

DE dolore iam multis locis dictum eſt, & poſtea dicetur: Fit autem, vel intemperie, vel ſolutione continui. Remedia vel paregorica vel contraria qualitate pugnantia, vel narcotica. De narcoticis multis locis.

Paregorica ſunt oleum ſimplex, anethinũ, chamæmelinum, lini, oleum ouorum, oleum in quo althææ radix coxerit: axungiæ ſuis, gallinæ, anatis, vituli, ouum crudum, & alia ſæpe enumerata. Contraria qualitate pugnant & hæc paregorica. Caryinum, laurinum, oleum de galbano, de ſulphure & ſimilia calida olea, ex refrigeratione nato dolore. A calore verò excitato, repugnat oleum viol. roſ. de nenuphare, papauere & ſimilia.

Dolo-

DOlorem à ſiccitate corrigunt, aqua tepida, hydrelæum, lac, butyrum, oleum, axungia, œſypus. Dolorem à copia ſanguinis phlebotomia tollit. Dolorem è flatu oxycratum tepidum, decoctum rutæ, anethi, ſerpilli, & alia, quæ capitibus de morbis inteſtinorum deſcripta ſunt. Dolor à ſiccitate. Dolor à flatu.

A craſsis humoribus cum flatu, oxycratum, hyſſopus, thymum, pulegium, calamenthum, & ſimilia.

A contuſione, caſeus recens, aloe aut maſtix oleo myrtino liquata: vbi locus intumuit, ſpongiæ fotus ex ſero lactis, ſiquidem inflammatio eſt, ſic enim ex aqua tepida fouebimus, oleum ricinium, caryinum, & in his inculcatus panniculus & parti impoſitus. Dolor à contuſione.

FINIS.

CAPITVM INDEX.

1	De dolore capitis	pag. 1
2	De vertigine	6
3	De phrenitide	7
4	De apoplexia	10
5	De lethargo	13
6	De caro	15
7	De paralysi	15
8	De spasmo canino	19
9	De conuulsione	21
10	De incubo	23
11	De epilepsia	24
12	De melancholia	28
13	De catarrho	31
14	De ophthalmia	33
15	De debilitate visus	36
16	De cataracta	39
17	De hæmorrhagia	42
18	De angina	45
19	De tussi	48
20	De asthmate	51
21	De pleuritide	54
22	De sputo sanguinis	61
23	De phthisi	65
24	De palpitatione cordis	68
25	De syncope	69
26	De cholera	71
27	De imbecillitate ventriculi	73
28	De singultu	78
29	De bulimo	80
30	De canina appetentia	82
31	De hepatis inflammatione	82
32	De hepatis debilitate	85
33	De morbo regio	87

34 De

34 De hepatis obstructione 90
35 De hydrope 91
36 De spleniticis 95
37 Contra rugitus & fluctuantem aquam è regione lienis 97
38 De dolore colico à pituita 98
39 De colica à flatibus 102
40 De colico à bile 103
41 De fluxu cerebrali 104
42 De lienteria 104
43 De dysenteria 106
44 De tenesmo 112
45 De fluxu hepatico 114
46 De fluxu pestilentiali 116
47 De mingendi difficultate 116
48 De dysuria & stranguria 117
49 De calculo 119
50 De vrinæ ardore 123
51 De mictu sanguinis 125
52 De diabete & inuoluntario vrinæ effluuio 127
53 De vermibus 129
54 De hæmorrhoidum suppresſione 131
55 De hæmorrhoid. fluxu nimio 132
56 De ani exitu 133
57 De matricis exitu 134
58 De mensibus sistendis 135
59 De mensium prouocatione 137
60 De vteri præfocatione 139
61 De rhagadibus 141
62 De mola vteri 142
63 De hernia 142
64 Ce arthritide 144
65 De elephantiasi vera 147
66 De cutis excoriatione 149
67 De rubore & pustulis faciei 150
68 De dolore 150

